EPILEGOMENORVM AD POETAS LATINOS POSTERIORES PARTICVLA PRIMA
DE AVRELII PRUDENTII CLEMENTIS RE METRICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARVM VNIVERSITATE ALBERTINA
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
VNA CVM THESIBVS ADIECTIS
DIE XXVI. MENS. SEPT. A. MDCCCLXXXIV. HORA XI.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

FRANCISCUS KRENKEL
STOLPENSIS.

ADVERSABVNTVR:
ERNESTVS KVHNERT, DR. PHIL.
FRIDERICVS IESCHONNEK, STVD. PHIL.

RVDOLSTADII
IMPRESSIT F. MITZLAFF.
MDCCCLXXXIV.

LUDOVICO FRIEDLAENDER

SACRUM.

Praefatio.

Cum iam triennio fere abhinc inciperem studiis incubare Prudentianis, operae me pretium esse facturum putavi disserentem de scriptore, cuius ut de rebus iam plurimos eosque ferme theologos egisse sciebam (Teuffel hist. lit. rom § 436, 5 ex. Dressel praef. p. I, 1), ita linguam verbaque neminem ad id tempus tractasse reminiscebar. Quibus autem ego causis sim permotus, ut Prudentio potissimum intenderem animum, enarraturo mihi perpauca sunt praefanda. Namque cum iam inde a pueritia scholari scriptoribus latinis postremi aevi subinde lectitandis perscrutandisque aliquantum diligentiae navaverim neque vero sine fructu me hoc fecisse intellexerim, quia non minoris momenti sunt ad naturam et indolem populi romani bene cognoscendam ac perspiciendam quam priores atque imprimis ei, qui vocantur classici (Gell. 19, 8, 15), feci nunc, ut de latinitate disputarem Aurelii Prudentii Clementis, qui, etsi erat homo christianus, tam non id solum petivit, ut contempta sermonis latini maiore elegantia se ingenio suo soli permitteret in scribendo velut Tertullianus, Ambrosius aliique scriptores ecclesiastici, ut dictionem suam ad regulam optimi cuiusque aevi Augustei poetae dirigere et emendare felicissime studeret.

Horum meorum studiorum postquam aliquos in lucem protuli fetus, edita quartum Teuffelii historia literarum romanarum (1882) dissertationem inauguralem de Prudentii latinitate sum admonitus publici iuris esse factam, quae inscribitur *A. E. Kantecki de Aurelii Prudentii Clementis genere dicendi quaestiones, Monasteri 1874.*

Ac primum quidem ego, si perlecta dissertatione in omnem partem linguam Prudentii erutam proprietatesque eius satis illustratas repperissem, stomachatus, quod plane nihil novum sub sole esse posset, meliorem, in quo versaretur curiositas mea,

campum petiturus eram. Sed pervolutato isto libello minime me fecisse „incassum Frustraque“ (Lucret. 5,1430), minime me perdidisse oleum operamque persuasum habui atque haec has ob causas. Kanteckius enim, Polonus et presbyter, ut ait ipse, Posnaniensis, unam tantum quaestionum partem absolvere conatus est, mere grammaticam et ne eam quidem perquam feliciter copioseque. Namque sola fere attulit vocabula, quae, quod scire sibi videretur, nemo ante Prudentium poeta scriptorve alius adhibuit. Tunc maiore multo diligentia, quam partem longe optimam eius libelli merito dixeris, investigandis Prudentii in declinatione et in coniugatione proprietatibus sese dedit adiunctis ex poeta nostro adnominationis et alliterationis pauculis exemplis.

Sunt autem haec omnia multipliciter vituperanda. Nam omisit plane eas voces, quae apud antiquissimos tantum occurrunt vel apud eos, qui paulo superiores sunt aetate Prudentii velut inde a Gellio Apuleioque; sed harum utrarumque magna apud nostrum extat multitudo. Porro indicem quidem invenies adiectum vocabulorum graecanicorum (p. 15), quorum usus, ut apud Prudentium frequentissimus, ita in ceteris literis latinis est paulo insolentior. Sed reprehendendus omnino graviter Kanteckius, quod incuriositate in conficiendo suo libello usus est haud parva. Namque comparanti mihi ea, quae ipse de vocabulis illis adnotaram, desunt haec apud Polonum:

anathema (ἀνάθημα) Ham. 461. Psych. 540
arthrisis Perist. 10,495 (ἄρθρισις) cf. Plin. Val. 2,45
ceraunus (κεραυνός) Psych. 470 Mart. Cap. 1,73

Eae quoque voces desunt, quae cum vel totae sint originis graecae vel e graecis atque latinis hybrida quod aiunt fictae formatione

hydrius (ὕδριος) Apothea 622 α. λ.
propola (προπώλης) Hamart. 761 sed cod. Theod. 11,10,1 non est ὁ πωλῶν, sed τὸ πωλητήριον
primoplastus Cathem. 9,17 Intrpr. Jr. 2,9,1 Hilar. de mund. dur. 4. Hae quoque apponendae erant, etsi adhuc in literis graecis sunt irrepertae.

Similiter desunt in latinis vocibus, quas habet Prudentius unus, plures. Sunt hae! *excitator* Cathem. 1,3, *enuntiatrix* Peristeph. 10,771 *verberator* Perist. 9,38, *nugatrix* Psychom. 433 *paradisicola* Hamart. 928; *ustuire* Peristeph. 10,885.

In dissimile vitium interdum incurrit Kanteckius affirmans vocabulum aliquod a Prudentio novatum, quod habent eius aequales aut etiam priores velut

ostentatrix Psych. 439 Apulej. apol. 76
pugnatrix Psych. 681 Ammian. 23,6,26
redemptrix Per. 10,774 Ambros. de Cain 2,4,13 etc.

Quid vero quod Kanteckius rem metricam Prudentii ne verbo quidem attigit? Jdem autem alto praeterit silentio ea, quae noster e prioribus poetis hausit! Quodsi haec omnia quasi ante mentis oculos posuerimus, mihi nullo modo persuadere queo plane periisse lucubratiunculam meam minime congruentem cum Kanteckii libello et alia prorsus exhibentem. Priusquam autem in medias, quod aiunt res, veniam, errores aliquot et Dresselii et Kanteckii refutare libet, quos illi sermonis latini ignorantia seu nimium interpretandi cupiditate ducti commiserunt.

Ac primum quidem mirum Dresselio intervenisse errorem in vocabulo „*duita*“ (Ham. praef. 37) et ego dudum contendi et affirmavit Kanteckius (p. 26, n. 34). Putat enim ille aberrasse Prudentium a solita vocis prosodia (praef. XVIII n. 54). quam ⏑ ⏑ ⏓ esse asserit; quin etiam demonstraturus Prudentium hoc non invenisse locum adfert Javoleni iurisconsulti (dig. 50, 16, 242 § 3). Sed si illos versus accuratius inspiciemus:

Marcion, arvi forma conruptissimi,
Docet duitas discrepare a spiritu

Dresselius nescivisse videtur hoc verbum analogia Graecorum velut στηλίτης etc. formatum esse atque a Prudentio primum. Namque loco allato Javoleni substantivum femininum mere latinum dŭĭtās, (duitatis) extat, quod cum semigraeco dŭītă (ae) confudit novissimus editor Prudentii

Kanteckius (p. 38) adiectivum adfert *vesperus, a, um,* quod Prudentium primum fecisse opinatur. Locus autem hic est (Dittoch. 93)

1*

Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos
Praescriptum proferre diem legemque obeundi
Tendere, quod gradibus, ***quos vespera texerat umbra,***
Lumine perfusis docuit sol versus in ortum.

Ut sit „*vespera*“ hoc loco femininum adiectivi „*vesperus*“, non rectum est Prudentium novasse, quippe quod apud eius coaetaneum Caelium Aurelianum, qui ante quinti post Christum saeculi initium scripsit, occurrat bis (acut. 1, 15, 141. 154). Verum quis iubet cogitque nos putare Prudentium invenisse adiectivum plane dignum inculto isto medico inconditaque eius in scribendo consuetudine, cum levissimo negotio ita versum illum possimus legere:

quos vespera (nom. subst.) *texerat umbrā.*

Sic omnia optime quadratura existimaverim.

Idem Kanteckius (p. 42) opinatur „*philippum*“ a Prudentio primo fictum esse, cum dicere debuerit philippeum, scilicet nummum. Adeo autem presbyter noster non modo linguae latinae, sed glossarii modica bonitate caruisse adminiculo videtur, nescius nummum aureum a Philippo, Macedonum rege, percussum iam inde a Plauto (Bacch. 2, 2, 52 s. 230) et ab Horatio (epist. 2, 1, 234) apud latinos philippum esse nominatum, tantum quod significatio prior a poeta nostro plane est amplificata atque in generale producta: similiter ibidem deceptus, quod, cum „*romulus*“ (= *romuleus*) ante nostrum non inveniri dicat, iam habeat Ovidius *romula ficus* (fast. 2,412)


Et Dresselius et Kanteckius loco Perist. 10,265 „*ollis*“ ablativum pluralem substantivi „olla“ esse existimant. Sed ego in hoc loco explicando illorum sententiae minime adstipuler. Loquitur poeta ibi de apotheosi ferarum et mansuetarum bestiarum nec non et leguminum quorundam, velut simiae, aspidis, crocodili, ibidis, canis, allii ceparumque. Tunc sic orationis continuatur perpetuitas:

Fuliginosi ture placantur lares
Et respuuntur consecrata holuscula:
Aut unde maior esse maiestas focis
Quam nata in hortis sarculatis creditur,
Si numen ollis, numen et porris inest?

Quodsi interpunctionem, quam adhibuit Dresselius, retinuerimus, quae sit loci sententia, vix quemquam posse percipere arbitrer. Ego vero post „*creditur*“ posuerim interpunctionem interrogativam atque ultimum versum per se ipsum constare velim, ita ut „*ollis*“ referatur ad vocabulum, quod praeteriit „*focis*“. Nam vult dicere Prudentius: Nullo pacto sibi constaret in dementia sua genus paganum, nisi, cum focis sive aris numina inesse putet, idem de plantis quoque existimaverit. Neque iam omnino video, quamobrem „ollis“ ab „olle“ = „*ille*“ derivari non posse credendum nobis sit, quadrante totius loci conexu sententiaque praestantissime.

Haec fere sunt, quae praemonita voluerim. Unum hoc addam carminum Prudentianorum, quoniam inscriptiones eorum satis longae saepiuscule positas nimio plus spatii videbam occupaturas, me tales excogitavisse notas:

Cathemerinon = Cath. s. C.
Apotheosis = Apoth. s. A.
Hamartigenia = Ham. s. H.
Psychomachia = Psych. s. Ps.
Contra Symmachum = Symm. s. S.
Peristephanon = Perist. s. Pe.
Dittochaeum = Ditt. s. D.
Epilogus = Epil. s. E.



De Prunti dere metrica.

Incipienti mihi de poetae nostri re metrica disputare hoc ita optime haud scio an instituendum videatur, ut primum quaeram, quatenus in vocabulorum quantitatibus aut ab auctoribus prosodiae latinae peritissimis deviarit, si licet hoc modo dicere, aut quae nulla secutus exempla novaverit, labente iam tunc propter ingruentes rhythmos rimosque, qui vocantur germanice, firmo de syllabarum latinarum quasi pondere indicio vel doctissimorum hominum — quia omnes fere scriptores romanos illustriores saeculi tertii quarti quinti post Christum rhetores oratoresve urbium fuisse satis constat —, deinde qua panxerit arte normaque versus suos seu potius consarcinaverit, ut phrasi utar Ammianea. Atque primae quidem huius tractatus partis subdivisionem esse triplicem debere facillime cognoscitur, cum Prudentium non modo in vocibus latinis, sed etiam in graecis nec non et in hebraïcis pari fere atque ea permagna licentia grassatum esse respecturi simus. Quae de hisce rebus dixit Dresselius in praefatione (p. XVII not. 54), tam exilia et tenuia sunt, ut, quia plurimae ibi res gravissmiaeque vel negleguntur vel parum illustrantur, qui illa perlegerit, minime inde cognoscere possit, neque quantis neque qualibus in contemnenda quantitate vitiis poesis Prudentiana laboret. Restant igitur recentiorum de re metrica latinorum artes. Quid vero quod eorum longe praestantissimus, Lucianus Müllerus in libro suo notissimo de hac re haud pauca barbarica, quae impendio digna memoratu sint, missa fecit atque omnino rarissime Prudentii habet rationem, quam ob causam „non est nostri iudicioli“ (Amm. 27,11,1. 28,4,14).

A. De solitarum quantitatum neglectionibus.

1. De quantitate vocum graecarum.

Cum illis temporibus, quibus vixit scripsitque poeta noster, linguam graecam absonis ac deformibus itacismi irrepentis pronuntiationi naevis et maculis si non plane iam corruptam foedatamque esse, at permultum de prisca sua elegantia atque praestantia perdere coepisse constet, nemo prorsus admirabile ducet etiam Prudentium, ut est vocum graecarum cupitor avidissimus (Kantecki p. 15), saepenumero huic vitio succubuisse. Atque hoc quidem apud eum apparet primum in corripiendis diphthongis longisque vocalibus, cuius rei iam exempla ordine, quo necesse est, vocalium digesta subiciam.

Corripitur diphthongus ae (*αι*) vel a longa

Mĕandrus C. 6,142 (*Μαίανδρος*). At apud poetas classicos velut Vergilium (Aen. 5,251) aut Ovidium (Met. 2,246. 8,162. 9,451) semper Māēandros.

rompheălis C. 7,93, quod derivatur a r(h)omphaea *ῥομφαία* cf. Pe. 5,189 (cuius forma genuina in sermone latino est rumpĭa Liv. 31,39,11 Val. Fl. 6,98 Gell. 10,25,2)

hĕresis *αἵρεσις* C. praef. 39 Ps. 710.725. H. 64. D. 72

sphĕra *σφαῖρα* A. 210

ĕnigma *αἴνιγμα* A. 331

Et propter diphthongi correptionem codices praecipui locis istis omnibus habent simplicem e literam sine ulla exceptione.

Serăpis *Σεράπις* S. 2,532.868.869 sicut Mart. Cap. 2 § 191 Paul. Vol. 26,100 cf. Georges s. v.

Sed sibi, ut in multis aliis, de quibus suo loco disseram, non constat in adhibenda quantitate vocis Judaicus (*Ἰουδαϊκός*) quam modo (A. 552), ut debuit, a brevi, modo a longa (C. 12,42) metitur. L. Müller p. 358

Corripitur etiam e longa (*η*)

atque haec interdum mutatur i litera propter itacismi, ut dixi consuetudinem, interdum vero retinetur genuina vocis figura. Quae figmenta qua re differant vel quando alterum sit efficien-

dum, videtur adhuc ambiguum (L. Müller p. 359). Velut habet Prudentius

běryllus Ps. 855 (βήρυλλος)
erěmus C. 5,89. Ps. 371. Di. 45 (ἔρημος)
ěthicus H. 581 (ἠθικός)
mathěsis S. 2,479.894. Sidon. car. 5,131 (μάθησις)
poěsis S. 2,52 (ποίησις)
phreněsis H. 125.

Etsi forma φρένησις apud Graecos adhuc reperta non est, tamen per analogiam sic esse fingendam quis est, quin videat?

Quod autem semel Ganges invenitur (S. 2,607) correpta e finali, neque huc pertinere et vitium esse librariorum equidem crediderim atque, id quod viri docti dudum monuerunt, hic Gangis legendum censuerim, secutus exempla, quae ipse exhibet poeta velut cautis (Pe. 10,701), famis (Ps. 479), prolis (Pe. 10,840), pubis (C. 7,162 Pe. 11,190), luis (H. 249 Ps. 508), stipis (S. 2,911), Joannis (C. 6,108.7,46. H. 911).

Jam veniamus ad eas voces, quarum e longam pristinam poeta vertit in ĭ:

energĭma A. 400 (ἐνέργημα)
paraclĭtus C. 5,160. Pe. 10,430 (παράκλητος)
Polyclĭtus Pe. 10,269 (Πολύκλητος)

Corripitur i longa in

arthrĭsis Pe. 10,495 (ἄρθρισις)
pleurĭsis Pe. 10,485 (πλεύρισις)
mĭtra Ps. 358 (μίτρα)
Chelĭdōnius Pe. 11,237 (χελιδόνιος).

Hoc est illustre exemplum quantitatis plane neglectae, sed rhythmi vocis tantum respecti.

Corripitur o longa (ω) saepenumero.

idŏlum (εἴδωλον) C. pr. 41. Ps. 379. S. 1. pr. 72. 1,424. 2,48 Pe. 1,42. 2,7. 484. 3,74. 5,13. 10,101. 431. 13,94. 14,13.
idŏlĭum (εἰδωλεῖον) A. 186. S. 1,568. 610. 2,79. Pe. 11,52
idŏlolatrix H. 404 (α. λ.) Compluriens etiam hanc correptionem effecit in syllabis vocabulorum finalibus
chalcedŏn Ps. 857 (χαλκηδών)

Lacedaemŏn S. 2,247 (Λακεδαίμων)
daemon. S. 2,889. Pe. 2,505. 10,1088 (δαίμων).

Denique corripitur y longa in duobus vocabulis azymus A. 353 (ἄζυμος) et allophylus H. 500 Di. 71 (ἀλλόφυλος)

Atque haec quidem habui, quae dicerem de diphthongorum longarumque vocalium correptionibus. Quid quod poeta, quae res huic rationi plane contraria est, non minus saepe brevium vocalium productionem admisit, cuius exempla barbaricum quiddam fere omnia redolent accuratius modo contemplanti, quippe quae, quamquam carminum metris illa minime conveniunt, nihilominus iis, ut ita dicam, infarserit. Hic quoque maxime consentaneum mihi visum est exempla vocalium serie distincta ordinataque proponere.

cātholicus (καθολικός) C. pr. 39 A. 2. 291. Ps. 107 S. 1. pr. 59 Pe. 7,9 11,24. 30.
chārisma (χάρισμα) A. pr. 11 S. 2,1046 Pe. 13,61
smāragdinus (σμαραγδινός) Ps. 862
margāritum (μαργαρίτης) Ps. 873
hecātombe (ἑκατόμβη) Pe. 10,1051
Asclepiādes (Ἀσκληπιάδης) Pe. 10,42. 108 392 548 687 921.
Hippocrātica (Ἱπποκρατική) Pe. 10,498
cyāneus (κυάνεος) Ps. 858, verum recte ut iam Homerus cyăneus S. 1,302 Pe. 12,41 longa prima.
Genēsius (Γενέσιος) Pe. 4,36.
sophīa (σοφία) C. 11,20. S. 1,34 cf. Bethanīa Di. 149.

Omnino quanto opere nominum propriorum quantitas vacillet, ex his, quae attulimus, exemplis facile apparere existimaverim. Magis autem et dilucidius hoc intellegitur contemplantibus nobis quam habeat prosodiam vox Marcion. Namque si breviter tantum perstringimus, quod semel, de qua re iam dixi (p. 8 ex.), o finalem corripit, (– – ⏑ H. pr. 36), habet Marcion (– – – H. 56), at idem Marcionis (– – ⏑ ⏑ H. 502), denique Marcionita (– ⏑ ⏑ – ⏑ H. 129)

O quoque brevem eodem modo producit in vocabulo prōpola (προπώλης [?] H. 761 cf. p. 2.)

Haec fere sunt, quae mihi dicenda fuere de vocabulorum

graecorum quantitate. Proximum est, ut quaeramus, quatenus in verbis hebraïcis quantitatis habuerit rationem.

2. De quantitate vocum hebraïcarum

acturo mihi ita disputationem partiendam censeo, ut ea prima enumerem, quae aperte peccavit Prudentius adversum severiora prosodiae latinae praecepta, ceterarum vero vocum conlatis inter sese quantitatibus, quia multae plusculas non consentientes habent, quanto opere fluctuaverit haec tota ratio demonstrem ostendamque. Ac primum quidem perquam insolens neque tamen semper sibi constans quantitas est vocis Jesus. Hoc enim vocabulum in eis poematis, quae metro dactylico heroïco composita sunt, semper duabus syllabis extulit, sicut Ennodius (epigr. II 34), ut appareat luce clarius, id quod iam Lucianus Müllerus observatum adnotavit (d. r. m. p. 261), ei placuisse Isum, quod in codice omnium vetustissimo semel (C. 1,81) extat (seu potius rectius Hisum). Sunt autem exempla haec: Cognovimŭs Jesum (A. 417). Invocăt Jesum (A. 502) Praeripĭt Jesum (A. 770). Induĭt Jesus (A. 935) Integĕr Jesus (A. 991). Mortuŭs Jesus (A. 1057) Intervenĭt Jesus (Ps. 764).Proderĭt Jesu (Ps. 797) Protulĭt Jesum (Di. 101). Advolvitŭr Jesu (Di. 142)

Similiter vim consonantem literae i neglexit Juvencus (hist. ev. 1,299) in voce Iremias, atque alii velut Prudentius ipse in voce Isaias sive Esaias (A. 595). Hoc quoque provenire ex itacismi facilitate nemo non videt. Sed in illis carminibus quae metris continentur lyricis (velut C. 12,173) fieri non potest, quin i litera vocis Jesu vim retineat consonantis.

Ut Jesus, ita Moyses nunc duabus stat syllabis spondei ioco (C. 5,31, 63. 7,37. 12,144) in carminibus lyricis, nunc tribus bacchii vice (◡ – – A. 51. H. 339) in poematis hexametricis.

Jn nonnullis vocibus vocalem ante vocalem longam effecit velut Bāal (A. 325) et Abrāham (A. 363. 364. Di. 17). At obtinet vox Sabaoth mox bacchii (A. 833), mox anapaesti (C. 4,7) quantitatem. Gabrīel (Di. 98).

Vox Belia antibacchius (– – ⌣ H. 520 Ps. 714) est, non ut Dresselius (praef. p. XVIII not. 54) contendit, tribrachys. Erravit hic nescio quo modo, namque Ps. 714 hunc versum profert:

Praeceptor Bēlīă mihi, domo et plaga mundus.

Sic ipse restituit novissimus editor Prudenti Puteanei codicis auctoritate fultus. Sed cum scriberet tribrachyn esse, nisi fallor, ante oculos habuit codicem Ratisbonensem, qui exhibet talem versum:

Praeceptor Bĕlĭal mihi adest, domus et plaga mundi.

Quod Bethania habet i longam, iam antea notavi (p. 9)

Jam vero quantum ad voces hebraïcas pertinet, hoc loco nihil aliud habeo, quod commemorem, nisi semel (H. 420) vocalem ante z literam media in voce esse correptam. Versus autem hic est:

Te, Chettaee, iuvat, sed gens Phĕrĕzēa sagittis.

Nisi forte hic per synizesin, cuius exemplum vix aliud apud Prudentium inveniatur, legis: Phērēzja.

3. De quantitate vocum latinarum.

Accedentibus nobis ad hanc dissertatiunculae partem ita bifariam disputare libebit, ut primum de quantitate syllabarum verbi radicem continentibus, deinde de quantitate syllabarum finalium agamus.

Atque ut est Prudentius vehementer licentiosus in utendis nominum propriorum quantitatibus, id quod iam in vocabulis et graecis et hebraïcis vidimus, idem latinas quoque voces metitur proprias legibus minime adstrictis atque sicubi metro nimus respondere videbantur, quantitates invertere et inmutare nusquam supersedit. Mitigatur vero hoc vitium ingenuitate confitendi se, quoniam aliter non liceret, hoc facere debuisse (Pe. 4,161): „Quattuor posthinc superest virorum nomen extolli renuente metro, quos Sāturninos*) memorat vocatos, prisca velustas. Carminisleges amor aureorum nominum parvi facit."

*) Debuit secunda verbi syllaba brevis esse.

Similes poetarum latinorum locos collegit Müllerus (p. 351) Terentian. 1368: lege nam metri vetor. Hor. s. 1,5,87: oppidulo, quod versu dicere non est. Rutil. Nam. 1,420: Optarem verum complecti carmine nomen, Sed quosdam refugit regula dura fugit.*)

Nomina igitur propria syllabis productis a Prudentio elata haec fere repperi:
Vālerius (Pe. 4,80), Vālerianus (Pe. 11,2. 13,35) Gālerius (Pe. 7,6. 10,31) Sardīnia (Sym. 2,946) Pompīlius (Pe. 10,403) Quīrinus (Pe. 7,36) L. Müller p. 354.

Haec quidem omnia excepto Quirino eum in versibus obtinent locum, ut hisce syllabis productis accentus versus sive ictus insit indeque illud effectum est perquam verisimile. Hanc autem rationem syllabas extendendi breves apud poetas classicos certe comprobari non posse rectissime mihi L. Müllerus (p. 356) contendere videtur.

Contra correptarum in nominibus propriis syllabarum, quae primitus longae erant, exempla non amplius duo indagare potui: Nŏlanus (Pe. 11,208) in pentametro, Mătuta (S. 2,563) in hexametro, quamquam ibidem codex haud quidem ille contemnendus Ratisbonensis legit:

Flora, Ceres, Mātuta et Larentina subegit.

Sed cuivis facile patebit hoc corrigere conatum esse emendatorem quempiam mendum metricum tollere studentem, cui simile iam deprehendimus in voce Belia (p. 11.).

Atque haec hactenus de nominibus propriis. Utque in horum quantitatibus commutandis, ita in ceteris vocabulis haud minore libertate cum reliquis poetis christianis grassatus est Prudentius. Igitur ut hic quoque initium capiamus a syllabis perperam productis, hoc cur fieret, eandem quam in nominibus propriis extitisse causam cognoscimus. Omnibus enim hisce syllabis impressus est ictus, qui dicitur, versus atque accentus grammaticus et plerumque una. Sunt autem haec vocabula:

---

*) Horat. A. P. 259 Ovid e. P. 4,12,5 cf. Martial. 9,11,10 Terentian 2402 Coripp. ad. proc. Carth. 27 L. Müller de scholicis observantiis poetarum veterum Berlin 1861 p. 15. 25.

blāteraret (Pe. 10,913) redīmitos (Ps. 687) pūgilibus (S. 2,518) pupūgerat (Pe. 9,59) prōpitiata (Pe. 3,215) prōpitiabilis (Pe. 14,130) vāle (Pe. 10,833) diūtinus (Pe. 2,391. 10,1116)

Quamquam in thesibus extantium vocum syllabae duae et ipsae productae sunt:
délībuta (Ps. 312) lácrīmabilis (Ps. 401)

In haec autem vitia multo proniores quam paganos incidisse poetas christianos argumentis vel luculentissimis L. Müllerus in sexto de re metrica libro evicit. Namque cum Claudianus nullum in hac re, Rutilius Namatianus vix unum alterumve admiserit vitium, quos poetas post Juvenalem Statiumque procul dubio quilibet molestissimos etiam elegantissimosque circa rem metricam fuisse adfirmabit, scripta christianorum velut Ausonii, Prudentii, multo autem magis Paulini Nolani, Sidonii, Venantii crescente sensim ac paulatim innumerabili fere huiusce modi erratorum multitudine scatent. Horum autem, quae adscripsi vocabulorum diutinus, de quo pauca dicam, dignum est. Priores enim poetae semper hoc ita adhibuerunt, ut secundam syllabam breviarent; atque id quod plerumque usu veniebat, ut cum praecedente syllaba per synizesin coalesceret longa facta, effecerunt. Solus Prudentius similiterque Paulinus (16,115) in voce diutius longa dixerunt secunda, tametsi perperam Ritschelius (cf. L. Müller p. 347) hoc iam apud antiquissimos scenicos usitatum fuisse contendit.

Hoc quoque sat notabile est, cum apud classicos auctores aliquot extent verba composita cum praepositione pro, quae rarissime in illis longam habet vocalem o velut prŏfundere, prŏpitiare prŏfiteri, prŏfanare, hanc quasi certatim plurimis exemplis extendi a christianis Müller p. 363. Sed horum quin longe barbarissima sint lacrīmabilis, pūgil, pupūgerat, redīmitus productis contra ius fasque syllabis, meo quidem iudicio extra omnium erit dubitationem.

Verum Müllerus (p. 356), de vi accentus grammatici syllabas extendendi quaerens, hoc unum mihi parum recte comprobasse visus est affirmans perperam a Prudentio (H. 323)

primam vocis crapulae productam, „incerta videlicet priorum in hac re auctoritate“! Scilicet ignorans crapulam derivari a Graeco κραιπάλη atque ob id ipsum necessario longam habere primam syllabam, id quod tuetur etiam auctoritas Plautina (Stich. 1,3,74 s. 230).

Jam exhibebo vocabula, quorum vocales genuine longas laxior in versibus pangendis cura Prudenti corripuit. Ac prima quidem ea adferam, quorum syllabae unde longae sint factae, satis incertum adhuc nequedum erutum est velut:
găneo (H. 322) gănea (Ps. 343) tĕmulentus (S. 1,135) dĕnuo (Pe. 10,797 s. – –) imbĕcillus (A. pr. 31 Pe. 10,721 C. 11,99 12,207) fĭo (Pe. 13,59) fĭam (Pe. 6,83) sŏcors (C. 1,34 Pe. 10,810) sŏcordia (A. 126, at C. 7,12 ō) elŭtus (Pe. 5,362) lŭgubris (C. 9,79) rŭbigo (Ps. 105). Eodem modo elutum correpta paenultima posuit Sedulius (c. p. IV. 269) Müller p. 349.

Quodsi hic idem vir doctissimus arbitratur (p.356) plerumque accidisse increbruisseque correptiones eiusce modi propter accentus in istis syllabis defectum, quia hoc certis ad persuadendum rationibus effici non potest, quippe cum vocabulum témulentus in pronuntiatione duos habere accentus ignoret nemo, ego, quamquam causa illa aliquam, quantulacumque est, in se habet verisimilitudinis speciem, plane aliam totius rationis explicationem coner constituere. Ego quaerenti, unde haec tot vitia provenisse putem, respondebo poetis istis non tam accentus defectum illa corripiendi fuisse auctorem, quam quod eis subtilior linguae latinae et structurae eius et totius naturae atque indolis intellegentia cognitioque percepta plane deerat, ut nihil leges huius migrantibus obstaret.

At multo insolentius multoque minus ferendum mihi videtur, quod Prudentius etiam eas syllabas medio in vocabulo corripuit, quae, vel cum primitus continerentur duabus vocalibus in unam conflatis vel cum per elisionem assimilationemve consonantis alicuius syllaba extitisset per se longa aut duabus consonis munitae essent, erant extendendae veluti (Müller p. 315): involŭcrum (conflatum ex involŭĭcro H. 921 C. 5,36 S. 1 pr. 54)

păricidam (parricidam H. 565). Hoc vero Dresselio tantum dubietatis, ne dicam impossibilitatis habere visum est, ut auctoritate plane neglecta codicis optimi, quid libri minores haberent in medio relinquens scriberet pătricidam, quod verbum ancipiti prima etiamsi omnem tollit obscuritatem metrique repugnantiam atque etiam Ciceroni (pro domo 10,26) usitatum est, nihilominus hic erat excludendum. Nam si doctissimus Prudentii editor scisset id, quod Müllerus de re metrica (p. 360) multis exemplis inlustravit, ipse istam mutationem impendio supervacaneam cognovisset, quoniam morem breviandi syllabas geminatis consonis insignes si minus in hoc verbo, at in simillimis ut cŏlloco, ŏpportunus, sŭpplex, ĕcclesia, abyssos, hĭnire, tĭnnire a Lucilio Laevio Lucretio Statio incohatum aevo Claudiani Prudentiique adeo videmus invaluisse, ut si quid in scriptis poetarum contemporalium ac maxime quidem ut in ceteris christianorum occurrat, nemo prorsus ullam de hac re subire debeat offensionem.

Diphthongos autem in vocibus latinis correptas has invenias: cĕrimonia (S. 1 pr. 5) et sĭc (seice S. 2,45) consentientibus optimis libris.

Quid quod falso inductus veriloquio itacismi consuetudinem, quod iam recte perspexit Salmasius (ad Spartianum p. 61), Prudentius e vocibus graecis transtulit in latinas ĭnervo(=ēnervo C. 8,64 S. 2,143). Eadem ratione alii christiani quantitates primarum longarum in ebrius, elegans, enormis in breve contraxerunt (Müller p. 361).

Sequitur, ut, quomodo noster in syllabarum finalium quantitatibus exhibendis ab elegantissimis prosodiae et metricae latinae auctoribus declinaverit, quaeramus. Atque in hoc quidem genere satis pronus est ad longas et declinationum et coniugationum vocales corripiendas, qua consuetudine procedente pedetentim effectum esse constat, ut omne declinationum discrimen evanesceret omissis paulatim ob inauditam fere pronuntiationem terminis utque mos linguarum, quae vocantur, romanicarum flectendi substantiva solis praepositionibus antefixis mirum quantum brevi tempore inveterasceret increbresceretque.

Contraxit autem, ut ab hoc potissimum exordium sumam, o ablativi tam gerundii verbalis quam aliarum vocum magna exemplorum numerositate.
spernendŏ (A. 15) infundendŏ (A. 166) gignendŏ (A. 253) luctandŏ (C. 2,91 H. 147) nascendŏ redeundŏ (A. 1006) prohibendŏ (S. 1,10) flendŏ (C. 7,42) stomachandŏ (Ps. 132) experiendŏ (S. 2,78) adsciscendŏ (S. 2,364) vivendŏ (S. 2,660) suadendŏ (Pe. 2,86 5,18) fandŏ (Pe. 5,256) eundŏ (Pe. 6,20) standŏ (Pe. 9,72) quassandŏ (Pe. 10,28) aemulandŏ (Pe. 12,13)

Haec vitia numquam admiserunt epici, rarissime primi post Christum saeculi scenici vel satirici velut Seneca et Juvenalis (3,237 vigilandŏ). Tota haec ratio iam ab Augusti temporibus in aliis formis in o exeuntibus quantum fecerit progressum infringenda o clarissime pervolutatis poetarum tunc viventium libellis Müllerus (p. 337), comprobavit. At vero Prudentius o non solum nominativi, de quo postea mihi agendum erit, verbique et formarum verbalium corripuit, sed etiam in adiectivis hisce: verŏ (Pe. 5,353 in dimetro iambico) et suŏ (S. 1,369 in hexametro). Nam quod eodem modo posuit octŏ (Pe. 4,173) similiterque idem herŏs (Pe. 10,52. 457), tum, cum de quantitatibus graecis ageremus, a nobis memorari debebat (L. Müller p. 342).

Diversa autem ratione Prudentius in vocibus ego (S. 2,227) et duo (H. 122 Pe. 11,89), quae alias apud metricos latinos breves retinent finales o produxit atque in prima quidem linguam ut videtur, secutus graecam (ἐγώ) L. Müller p. 335.

Jamque ego tempus venisse credo locumque opportunum recensendi et enumerandi substantiva, quorum o nominative prius longam corripuit noster eodemque modo verba et adverbia, quorum multitudine fere inmensa, quantum iam tunc temporis acerrimus terminorum contemptus ingruerit, perspici conprendique possit:

1 o in verbis correpta:
abnuŏ (A. 824) addŏ (Pe. 2, 297) adestŏ (Pe. 5, 545) agnoscŏ (H. pr. 32) audiŏ (S. 2, 921) calcabŏ (S. 2, 173)

calcabŏ (S. 2,173) celebrabŏ (Pe. 2,34) censeŏ (S. 1,425) clamŏ (Pe. 10,466) conviolabŏ (Pe. 6,56) credŏ (A. 1055.). (Pe. 10,201) dabŏ (S. 1,48) detorqueŏ (H. 454) dicŏ (S. 2,443) emittŏ (Pe. 10,467) estŏ (H. 961) exultŏ (Pe. 14,69) fallŏ (H. 506) faxŏ (Pe. 5,101) ferŏ (S. 2,551) formidŏ (S. 2,178) ibŏ (S. 2,172 Pe. 10,196) ignoscŏ (Pe. 10,301) incestabŏ (S. 2,173) increpŏ (H. 622) insertabŏ (S. 2,727) intellegŏ (S. 2,381) iurŏ (Pe. 10,925) negŏ (S. 2,781) nesciŏ (A. 471. 485) noscŏ (A. 1062) pandŏ (Ps. 404) pendŏ (Pe. 10,478) perdŏ (Pe. 10,522) permittŏ (Pe. 10,925) poscŏ (H. 953) praecedŏ (Pe. 2,27) probŏ (S. 2,344) prohibetŏ (S. 2,1125) proterŏ (Pe. 3,74) recusŏ (Pe. 6,54) reparabŏ (S. 2, 194) rogŏ (Pe. 3,66. 121) sentiŏ (H. 637) sperŏ (S. 2,167) spoliabŏ (S. 2,175) tollitŏ (Ps. 613) vivŏ (S. 2,679) volŏ (Ps. 713 S. 2,393) vulgabŏ (Pe. 2,123)

2. o in substantivis correpta:

actiŏ (S. 2,459) communiŏ (S. 2,821) conciŏ (Ps. 746) dilectio (A. 1027) discretiŏ (H. 26) dissensiŏ (H. 351) divisiŏ (S. 2,240) dominatiŏ (H. 31. 540) generatiŏ (H. 42) habitatiŏ (H. 952) indignatiŏ (S. 1,476) instauratiŏ (A. 1070) laceratiŏ (Pe. 3,147) lapidatiŏ (Di. 179) obiurgatiŏ (H. 621) observatiŏ (S. 1,240) obtrectatiŏ (H. 397) operatiŏ (H. 397) passiŏ (A. 83. Pe. 11,196) portiŏ (A. 275. 949) pusiŏ (A. 592) quaestiŏ (Pe. 11,64) simulatiŏ (A. 801) transmigratiŏ (H. 448) trepidatiŏ (Ps. 248 Di. 139) veneratiŏ (S. 1,156) aerugŏ (S. 1,440) ambagŏ (S. 2,847) caligŏ (A. 679) compagŏ (Pe. 5,111 Di. 124) sartagŏ (Pe. 10,759) origŏ (H. 204. Ps. pr. 41. S. 1,72. 2,971) uligŏ (A. 678) virgŏ (A. 575. 579. 602. Ps. 41 S. 2,1099 Pe. 3,3. 56. 124. 207. 6,149. 14,52. 124) praecŏ (S. 1. pr. 1.) conmilitŏ (Ps. 471) formidŏ (S. 1,450 Pe. 10,965) libidŏ (H. 628) ordŏ (Pe. 11,219) praedŏ (H. 949) spadŏ (S. 2,863) testudŏ (A. 388) homŏ (A. 263 H. 698? cf. p. 26) lenŏ (H. 260) nemŏ (A. 77 173. 197. H. 85. 735. S. 1,314. 2. pr. 56. 241. 471. 572

Pe. 1,13) sermŏ (Pe. 2,74. 10,111) carŏ (A. 109. 525. 567 870. 995 Di. 8) leŏ (H. 358) Aristŏ (Pe. 10,896) Junŏ (S. 2,870) Nerŏ (Pe. 12,23) Tarracŏ (Pe. 6,1. 158)

3. o correpta in adverbiis:

idcircŏ (H. 10. 350) ergŏ (A. 71. 104. H. 346. 646. Ps. 758. S. 1,9. 334. 496 538. 2,794. 820. 944. Pe. 2,293. 4,145. 5,54. 105) praestŏ (Pe. 2,569) ultrŏ (Pe. 1,45).

Jam vero, in quo substiteramus, Prudentii in terminorum quantitatibus peccata percensere pergemus. Absolvimus adhuc quidem o finalem, quam mirum quotiens in omnibus verborum generibus infractam vidimus.

Simili modo terminos ēs et ār in his tribus adiectivis corripuit: quadrupĕs (A. 212. S. 2,817) dispăr (H. 26. 775. Pe. 10,949) et impăr (S. 1,168 Pe. 10,565. 825), quod L. Müllerus (p. 341) atque ut opinor recte putat eo esse factum, quod, cum simplicia pēs et pār componerentur cum praefixis vel particulis vel aliis verbis tonus, id quod in latinarum vocum pronuntiatione usitatum est plane recederet ab ultima.

Adverbia quoque in a longam exeuntia contră (Pe. 5,145) et frustră (Pe. 1,13) cum aliis poetis christianis contrahere ne noster quidem dubitavit.

Perdurum vero vixque aliis exemplis illud est excusandum, quod semel Prudentius (Pe. 7,20) admisit talem correptionem:

fluctu quolibĕt vivida! — — — ⏑⏑ — ⏑ ⏑

Equidem autem hoc loco cum ceteris praeter unum Alexianum, qui habet istam lectionem, codicibus editionibusque legendum censuerim: uvida, quod eundem planeque bonum praebet sensum.

Secutus exempla hinc illic etiam classicis usitata poetis e imperativi secundae coniugationis brevem posuit his duobus exemplis percensĕ (H. 624) et extorquĕ (Pe. 5,60). Habes autem cavĕ valĕ vidĕ iam apud Vergilium (ecl. 3,79) Ovidium (met. 3,501) Phaedrum (3,6,3) Persiumque (1,108) L. Müller p. 340.

Ut iam tandem aliquando seriem finium correptorum absolvamus concludamusque, memorabilis est a correpta in

duabus vocibus Adriănique (S. 1,274) et calceămenta (Pe. 6,74). Hic cum tonus accentusque grammaticus et ictus versus syllabae paenultimae subsit, prae qua ceterae neglegantur in pronuntiando, ut in plurimis aliis hac causa correptionem admissam esse evicit Müllerus (p. 356)

His igitur ad umbilicum usque, si ita dicere licitum est, consummatis accingimur ad colligendos eos terminos, quos natura breves Prudentius aut ictu versus caesuraque conmotus aut sequente muta cum liquida sive denique liquida cum muta produxit.

Ac prima illa percensebo, quae extenta inveni propter caesuram ea occupantem quoque hoc melius intellegatur, facere non possum quin totos exscribam versus:

vesper habet **roseūs** et quem novus excipit ortus (A. 425)
hac pietate **vagūs** et tanto munere abundans (H. 708)
cum placet **aeriūs** et de phantasmate visus (Ps. 712)
pauper et **infirmūs** et summo indignus honore (S. 2,118)
omnia **luminibūs** et qua circumtulit acrem (H. 901)
cogunt ad **facinūs** et inevitabile mergunt (S. 2,464)
ipse **incorporeūs** ac spirituum sator unus (S. 2,190)
iura **resignassē** sursum revolantibus umbris (S. 1,92)
incassum **arguerē** iam Taurica sacra solemus (S. 1,395)
quamquam si **tantūs** amor est et cura vetusti (S. 2,335)
victus et ipse **priūs** inimica nec agmina iuvit (S. 2,538)
hos tu, Nile, **colīs**, illos, tu, Tibris, adoras! (S. 2,871)

Haec, quae attuli, exempla extant in caesura, quae fertur, penthemimeri sive in arsi pedis tertii. Pleraque aliquantum excusari possunt eo, quod, ut dixi, sunt in caesura partemque parvulam efficiunt pronuntiati, maxime ea, quae sequitur coniunctio et (ac). Sed non minus saepe productiones admissas repperi quarti pedis in arsi, sunt autem haec exempla:

quod corpus solidum, **cuiūs** imitatio in umbra est (A. 800)
spiritus existit **tenuīs** et sibilat aer (A. 842)
nil de pestiferis **opibūs** aut falsificatis (H. 549)
et domus et domini **paribūs** adolevimus annis (Ps. 223)
utque homini atque deo **mediūs** intervenit Jesus (Ps. 764)

fingitur et delubra **deūs** et nomine et ore (S. 1,306)
commenti et radios **capitīs** et verbera dextrae (S. 1,345)
plena puellarum **patribūs** ergastula saevi (S. 1,447)
en ego gignendi **dominūs** ac restituendi (S. 2,204)
tum duo discordant **crucibūs** hinc inde latrones (Di. 167).

Arsin secundi pedis hexametri solis his tribus locis productam indagavi:

pervigilīs animae, quamvis densata graventur (H. 908)
halantīs animae figmentum et corporis alter (S. 2,215)
tramitibūs et centenos terat oblita calles (S. 2,845)

Age porro praebeam ceteras, quae pertinent ad hoc genus, productiones in metris lyricis admissas, quo facilius, omnibus enumeratis, quid de hac tota ratione iudicandum sit, comprehendam:

novīt animator solus et factor tui (Pe. 10,788)
bis membra pergunt urere, **ūt** igniverint (Pe. 10,1078)
hic **pastūs** animae est saporque verus (C. 4,33)
cf. figura **noverīmus** mystica (Ps. pr. 58)

His tam numerosis arsium productionibus usus Prudentius eandem licentiam bis tantum exercuit in thesibus:

cuiūs omnipotentiae est (S. 2 pr. 26)
mortis **deindē** gloria liberae (Pe. 14,9)

Hoc vero proprie inter ea exempla referre debuimus, quae productionem propter sequentem muta cum liquida praebent, ad quae iam transeamus. Proponemus autem ea, quae in hexametris occurrunt, deinde ea, quae non minus numerosa in ceteris metris extant.

I est factura **animā**, flatu et spiramine coepta (A. 871)
testamenta **duō** fluxerunt principe utroque (H. 122)
morte **Pudicitiā** gladium Jordanis in undis (Ps. 99)
fertur **Avaritiā** gremio praecincta capaci (Ps. 454)
ossibus **inclusā** fremit et discordibus armis (Ps. 903)
hospite **regnantē** crudus stupor aurea finxit (S. 1,73)
Imbuerē fragilique viros foedare triumpho (Ps. 252)
II subter **comprimerē** clausa silentia (S. 1 pr. 55)
ast **illē** placide annuens (S. 2 pr. 30)

instar fellis **aquā** tristifico in lacu (C. 5,93)
civitas **quaequē** pretiosa portans (Pe. 4,15)
nil **ipsē** proprii minor (Pe. 7,39)
calcarē fremitum maris (Pe. 7,59)

Quodsi igitur haec omnia comparabimus cum eis, quae in eodem genere si minus peccata, at admissa videmus a poetis classicis, quae religiosissime subtilissimeque collegit Müllerus (p. 321) cognoscemus, cum hae productiones ab illis ita factae sint, ut clandestina quaedam et quasi latitans versibus inderetur elegantia pulchritudinisque species, harum rerum nihil inveniri apud Prudentium, quippe qui versuum elegantium fingendorum haud magnopere sciens peritusque sine ulla alia causa nisi metri necessitate syllabas breves aut insequente vocali aut muta cum liquida extenderet. Quae cum ita sint, nihilominus falsissimum est existimandum arbitrandumque, si quis, ut eiusce modi versus insertatis voculis quibusdam, quas nos appellamus germanice „Flickwörter", mutataque aut interpunctione ac verborum positione aut forma leviter recte procedant beneque quadrent, facere velit. Velut in integrum, ut tria afferam exempla, restituti hi versus a plusculis interpolatoribus et editoribus sunt (cf. p. 19):

vesper habet, **roseos et qui** novus excipit ortus (A. 425)
quod corpus solidum, **cuius similatio** in umbrast (A. 800)
ramitibus, **si centenos** terat orbita calles (S. 2,845)

Atque haec quidem veteres facere instituerunt editores rectae scriptorum e codicibus publicandorum rationis minime gnari. Quid vero quod etiam Lucianus Müllerus (p. 333) versum (Pe. 10,628) claudicantem paululum similique vitio atque priores laborantem ita optime emendari posse putat, ut plane eius membra omnia, id quod iam fecerat Giselinus, transponat:

Namque pro eo, quod traditum est:

non destiterunt **pingerē** formam crucis

offensus producta verbi syllaba sic legit:

formam crucis non destiterunt pingerĕ.

Quomodo enim idem vir alias doctissimus fieri potuisse censebit, ut tanti voluminis librum de poetarum latinorum re

metrica conscriberet, si simili eademve ratione, quidquid aliquid haberet a molestorum grammaticorum norma diversum, extinctum radicitus deletumque foret?

Jamque ad finem hanc totam de latinarum vocum quantitatibus perducam dissertationem conspectum praebens eorum exituum brevium, qui subsequente liquida cum muta, hoc est ante sc, sp, sq, st producti sunt. Is quoque usus, quamquam satis parcus apud optimos poetas est, qui qualicunque positione breves extendere timuerunt. Qui hac severitate fuerint insignes atque etiam positionem ante sc, sp, sq, st vitaverint, enumeravit L. Müllerus (p. 320) cf. Christ Metrik p. 10, § 15. Pleraque autem exempla quae exhibebo, in caesura sive diaeresi, omnia septem exceptis in arsi posita sunt:

castus amor, **pulcr**ā species, sincera voluptas (A. 396)
nate deo, **nat**ē sceptris et germine David (A. 418)
sensibus in **quinqu**ē statuens, quae condidit auctor (H. 299)
praeclusit, quibus **histori**ā spectabile signum (H. 724)
virgo **Pudiciti**ā speciosis fulget in armis (Ps. 41)
orbis **Aavariti**ā sternens centena virorum (Ps. 481)
stant tuti rationis **op**ē, stant turbine ab omni (Ps. 505)
mentis **Avariti**ā stupefactis sensibus haesit (Ps. 585)
ulteriora **ped**ē stridensque per extima calcis (Ps. 653)
mucronem laevo in **later**ē squalentia quamvis (Ps. 673)
cessissē stomacho, fervent bella horrida fervent (Ps. 902)
inde deos, quorum **patri**ā spectata sepulchra (S. 1,54)
principe **disposit**ā scissent, qui currere regna (S. 1,288)
Eumenidum **domin**ā Stygio caput exserit antro (S. 1,356)
consessusque **ill**ē spectantum solvid ad aram (S. 1,397)
En quibus **implicit**ā squalebat regia summi (S. 1,408)
nec nudo suspensa **ped**ē strophioque recincta (S. 2,37)
surgat ut ex **ciner**ē structuraque pristina constet (S. 2,208)
non habeo, **membr**ā statuis effingere vile est (S. 2,751
more suo viridisque **sat**ā stagnare Canopi (S. 2,922)
procubuit Jericho, **sol**ā stant atria Raab (Di. 61)
mille **ali**ā stolidi bacchantia gaudia mundi (H. 378)
pacis **amiciti**ā struxit moderamine Romae (S. 2,622)

peccatrix **animā** stultitiam exuat (C. pr. 35)
corripit gregis suilli **sordidā** spurcamina (C. 9,56)
tristiā squalentis aethrae palluerunt sidera (C. 9,78)
o novum **caedē** stupenda vulneris miraculum (C. 9,85)
Aegypte, Thrax, **Persā**, Scytha (C. 12,203)
vibrato **capitē** spicula dentium (S. 1. pr. 28)
ut **deditā** stipendiis (Perist. 2,91)
Caesaraugustā studiosa Christi (Pe. 4,54)
in **laterā** stomachumque ferit (Pe. 3,150)
sanguinis **rorē** speciem futuri (Pe. 4,91)
pronus **detraherē** studebat unus (Pe. 6,75)
hoc tu parasti, **perditē**, spectaculum (Pe. 10,86)
unusque ab uno **luminē** splendor satus (Pe. 10,322)

Huc non pertinet famē stipabant (A. 708) quia ablativum fame semper iambum esse nemini ignotum erit (Müller p. 381), quod iam Priscianus (p. 768) animadvertit.

Age vero iam exempla huius productionis in thesibus admissae afferam:
indocta **túrbā** scilicet (C. 11,82)
pollet hoc felix per orbem terra **Hibérā** stemmate (Pe. 1,4)
impias manus cruentis **inquinárē** stragibus (Pe. 1,39)
prunas maniplis **confovérē** stuppeis (Pe. 10,864)
deiecit **órā** spiritum daturus (Pe. 12,20)

Statuendum autem est eam Prudentium sibi posuisse legem, ut vocalem finalem cuiuslibet vocabuli brevem ante sequentem liquidam cum muta (sc, sp, sq, st) produceret semper atque hanc legem, quod ego viderim, semel migraret tantum:
tristem suae **magīstră** spectet impia (Pe. 10,688)

Sequente vero litera z brevem syllabam non produxit:
arsit enim scintilla odii de **formitĕ** zeli (H. 188)
terror et aversis exfibulat **iliă** zonis (Ps. 633)

Atque in hac quidem re secutus est priores. Sequente vero muta cum liquida (fl, gl, fr, gr, cl, cr, pl, pr, tr) ingenti fluctuat variatione et vocalem antecedentem natura brevem totiens corrumpere quotiens producere amat, velut (Pe. 14,9) producit deīndē gloriae, at (Pe. 10,814) corripit rĕgluti-

nabitur, atque in hoc quidem genere correptio non ante poetas christianos afferri potest (Müller p. 316) Hoc quoque memorabile est eum voce „psalmi“ insequente vocalem brevem praecedentem, ut erat, reliquisse his duobus exemplis:

mystica dulcimodis virtutum carmină psalmis (Ps. 664)
pangerĕ psalmis (Pe. 4,148)

cum coniunctioni literarum p et s maior prorsus ad extendendum vis insit, quam ceterarum mutarum cum liquidis, quas enumeravi, copulationi.

Pauca admodum mihi iam de Prudentii in re metrica proprietatibus quasi subserenda et subnectenda sunt, quibus antea locum, quo tractarentur, reppereram nullum idoneum.

Synizesis e Vergilio Ovidioque notae, qua i litera, sequente altera vocali vim consonantem recipit, pauca etiam Prudentius habet exempla:

arjetat (H. 489) pajretibus (Psych. 852. Pe. 11,27) aljenus (Pe. 10,193) muljer (C. 9,40 Pe. 10,837) Datjanus (Pe. 5,40. 130. 422) L. Müller p. 258

Vocalem longam ante vocalem in verbo cum praepositione coniuncto ter longam retinuit:

praeerat (Pe. 2,42) praeeundo (Pe. 10,248) dēhonesto (Pe. 10,763) Müller p. 246.

Apocopen, quae dicitur, bis habet Prudentius:

egon' cachinnis venditus (Pe. 2,323)
adeon' securem publicam (Pe. 2,327)

Tmesin semel tantum adhibitam video:

qua se cunque fugax trepidis fert cursibus agmen (Ps. 447).

Cui (cuique) voculae quantitas inter eas est referenda, quae nullum certum syllabarum quasi pondus exhibent, cum cui septies pedem compleat pyrrhichium (A. 173. Pe. 4,4. 23 41. 179. 11,181. C. 6,34) semel incertum, iambum an pyrrhichium:

largitore cuĭ propria est (S. 2,114 cf. p. 20 cf. Pe. 7,39)

Semel autem monosyllabi brevis locum obtinet:

sanguine pasta cui cedit avis (C. 3,167 Müller p. 271) cuique semel dactylus (H. 105), semel tribrachys (S. 2,89) semel, quae gěnuina vocis mensura est, trochaeus (S. 2,35)

Genetivus illius ter dactylum obtinet (A. 534 S. 2,669 (Pe. 1,85), sed sexcenties palimbacchium (— — ⏑)

Deinde bis tantum per synizesin contrahitur (Pe. 5,205. 542), alias semper amphibrachys (⏑ — ⏑) est.

Adiectivum aenipes, quod Ovidio (heroid. 6,32) diiambus est (⏑ — ⏑ —) Prudentius (S. 1,351) vocalibus in initio contractis creticum fecit (— ⏑ —)

Conubium, quod iam Servius (ad. æn. 4,213) modo choriambi modo epitriti primi locum obtinere contendit, etsi illud quidem tam certis, ut quis convincatur, argumentis demonstrari non potest usque ad Claudiani tempora, cum semper per synizesin legi queat conubjum, apud posteriores demum in iis metris occurrit, ubi, quin choriambum expleat, vix quisquam dubitare possit velut apud nostrum poetam in tetrametro dactylico catalectico in syllabam:

nēxĭlĭs īnscĭă cōnŭbĭĭ (C. 3,75)

Montem Vaticanum, cuius i Horatius (od. 1, 20,7) recte corripuit (Lachmann ad Lucr. p. 37) noster adductus exemplis Martialis (6,92,3. 10,45,5. 12,48,14) et Juvenalis (6,344) i posuit longa.

Vocabulum fortuitum invenies (A. 641) ita adhibitum, ut i longa cum u contraheretur in unum, velut Horatius (sat. 2,2,76) eandem contractionem fecit in verbo pītŭīta.

B. De hiatus apud Prudentium usu.

Contendit in universum Lucianus Müllerus (p. 309) et ut mihi videtur suo iure iam Ennium et secutos eum cum alios poetas tum Vergilium quattuor sub condicionibus in arsi hiatum admisisse sive vocalium elisionem evitavisse, scilicet aut caesura legitima aut nomine proprio atque persaepe graeco sequente aut multiplicatis brevibus syllabis aut interstitio sensus.

Negat autem idem Prudentium in eorum numerum esse referendum, quibus tales hiatus, hoc est in arsi commissi, sint imputandi. Atqui quattuor in hoc genere exempla extant nullis interpretationis quamvis aucupis artibus praestigiatricibus deneganda, sunt autem haec:

hunc **pósterī Efrém** colúnt (C. 12,189)
muneris **auctorém ipso** ipso demunere pendas (S. 2,109)
spemque in **mé omnem** statuat, nunquam peritura (S. 2,159)
unus **egó elementa** rego nec mole laboris (S. 2,227)

Occurrit igitur hiatus in arsi non modo hexametri, verum etiam iamborum semel ante nomen hebraeum, semel syllabis brevibus multiplicatis, sed quid iam faciendum duobus exemplis restantibus, quae in nullam rationum a Müllero expositarum cadunt? Statim is quidem, cum persuasum habeat nulla alia causa quemquam poetarum tale quid audere potuisse, uti fecit diversis scriptorum locis (et cur non omnibus?) adiecta, ut supra dixi, vocula literulave locos ut opinatur mendosos emendaverit! Nos quidem hosce locos Prudentianos, quippe qui, cum optimorum codicum lectione consentienti tradantur, firmissima sint immuniti fultique auctoritate, ut sunt, servandos ac retinendos censemus atque etiam in hac re Prudentium cum ceteris poetis christianis licentiosa protervitate antiquorum normam regulamque sequi supersedisse censebimus.

Multo maior numerus est hiatuum in thesibus admissorum, quos iam, ut recte de iis iudicari possit, subdam, omissis pauculis, de quibus paullo post viderimus.

radice **Jessĕ** editus (C. 12,50)
aram **antĕ ipsam** simplices (C. 12,131)
pulsăm utrimque et ad ossa secat (Pe. 3,134)
nī illa vis exercita (Pe. 5,133)
spes siqua **tibĭ est**, si quid intus aestuans (Pe. 9,96)

Quodsi haec exempla subtilius contemplabimur, unum a vocabulo proprio Müllerum secuti, duo a syllabis brevibus multiplicatis excusationem veniamque trahere cognoscemus.

Quae restant ambo, rursus, in quantum mihi constat, sine exemplis ausus est. Jam vero nonnulla hiatus exempla, quae afferam, in quibus, ubinam sit hiatus constituendus valde dubium est velut:

vadĕ homŏ, afflatu nostri praenobilis oris (H. 698)

Forsitan autem hic legeris vad' homo, quoniam, qui praeterit versus, eandem vocis vade habet elisionem:

Vade, ait ipse parens (H. 697). Similia sunt:

immŏ ită est, armis et viribus indiga veri (S.2,510)

cŭĭ est origo caelum (C, 6,34), non cŭ-ĭst.

Qua hi versus venia sustentari possint, equidem dicere nescio. Nam cum Vergilius his versibus usus:

femineo ululatu (aen. 4,667. 9,477) vel castaneae hirsutae (Ecl. 7,35) vel vale valĕ, inquit, Jolla (Ecl. 3,79) aut purpureae Aurorae (Ov. met. 3,184) Ovidius eximia quadam elegantia et venustate plane nulla ratione relatu effabili compserint decoraverintque, eiusce modi versus aqud Prudentium versificatorem, ut postea videbimus, alias haud laevum frustra quaerentur, „rara avis in terris nigroque simillima cycno.“ Verum de versu (Ps. 714)

praeceptor Belia mihi domo et plaga mundus

puid nos iudicemus, iam antea disseruimus (p. 11). Atque haec quidem hactenus. Jam vero accingimur ad absolvendam in re metrica partem, quae restat adhuc. Agendum enim nobis est de caesuris incisionibusve versuum.

C. De caesurarum apud Prudentium usu.

In universum satis diligenter et subtiliter de hac tota quaestione Lucianus Müllerus egit (d. r. m. p. 179) Nos pauca, quae attinent ad Prudentium, addamus. Apud hunc autem praeter legitimam penthemimerim sexcentiens obviam, quam haud raro sequitur hephthemimeris, qualium versuum exempla haec sunt (S. 2,976. 995)

nunc consumit edax // segetem / rubigo maligni....

a u t t i t u b a n t m o r b i s // a u t t e m p o r e v i c t a s e n e s c u n t plurimis exemplis reperitur septisenaria, ita ut incisio simul fiat post secundam arsim et post tertium trochaeum (L. Müller d. r. m. p. 186 et L. Jeep ed. Claud. I. praef. p. LX) sicut in his versibus:

d e g e n e r a n t / l i n g u a m q u e / n o v a m / v e s t e m q u e s e q u u n t u r (H. 457)
m u n e r i b u s / p a r c u m q u e / m o d u m / s e r v a r e f r u e n d i (H. 331).

Sed inveniuntur etiam exempla hephthemimeris cum trithemimeri iunctae sine caesura post tertium troechaeum. Tales versus, quos Prudentius numerositate oppido ampla admisit, sunt:

n a s c e n d i / n o v a m a t e r i e s / a c s e d e u s u l t r o (A. 250)
s u b i a c u i t /, q u a m P a l l a d i u m /, q u a m V e s t a p e n a t e s (S. 2,976)
c o n i u g i u m / n e c c a e l i c o l a m / d e s c e n d e r e e p h e b u m (S. 1,170)
n a t u r a e / l e v i s i n t u i t u / n u l l o o b i c e r e r u m (H. 902)
p r o c i n c t u m / v i d e t a n g e l i c u m / i a m i a m q u e c r e m a n d i (H. 915).

Habet Prudentius hanc hexametri formam saepenumero, locos hic adscribam.

A. 11. 19. *20.* *49.* *81.* 98. 125. 156. 212. *250.* 274. 277· 332. 417. 618. *687.* *713.* *779.* 805. 864. 872. 880. 888. 898. 912. 934. 948. *967.* 989. 1021. *1061*

H. 134. 188. 195. 207. 250. 259. *275.* 357. 370. 373. *509.* 511. 523.* 531. 541. 543. 555. 582. 585. 616. *632.* *644.* *653.* 654* 658. 671. 678 691. *712.* 716.⁰ *724.* 755. *795.* 807. 829. 843. 864. 882. *915*

Ps. 12. 43⁰. 75. 110. 126. *148.* 185. *248.* 307. 314. *430.* 463. *486.* *488.* 499. 506. 528. 546. 569. 580. 588. 617. *629.* *647.* 649. 673. 683. *706.* *749.* 760. 824. *861.* *872.* *881*

S. 1, *69.* 77. *84.* 86. 91. 98. *150.* *170.* 176. *195.* 205. 207. 239. 246. 250. 257. 292. 293. 346. 349. 374. 394. 430. 444. 466. 500. 503. *520.* *567.* 592.

S. 2, 99. 184. *186.* 207. *232.* 260. 314. *415.* *431.* *433.* 505. 523. 590. 663. *687.* *754.* *771.* *773.* *845.* 916. 966. 993. *1011.* 1042. *1053.* 1058. *1070.* 1093. 1096. 1100. 1125.
Pe. 9, *31.* *79.* 11,29. 61. 127. 135. 183. 187.
Di. *43.* 67. 82. 108. 109. *133*

Occurrit haec trithemimeris et hephthemimeris coniunctio apud Prudentium centies sepsuagies novies inter 5167 versus hexametros, quos habet, hoc est vigesimum octavum quemque versum occupat. Ei versus, quorum numeros oblique signavi, diaeresin quandam in fine pedis primi habent; ei, quibus numerus solus est appositus, insuper quasi mancam habent penthemimerin, cum ferme ita sint comparati

ille pater /, quem nulla acies / violenta tuendo (A. 11).

Bis prorsus in eis versibus hephthemimeris velut dissimulata latet, sed tamen inest, nam verba istum pedem complentia cum praepositione coniuncta sunt, post quam caesuram poni posse etiam postea videbimus:

nemo habitum // naturae / aut in- // ritamina peccans (H. 523)
inmunem // modo sese / anima ex- // pertemque nefandi (H. 654).

Idem Prudentius etiam fecit, ut in duobus talibus versibus hephthemimerim plane omitteret:

consensit // licuitne / horfantem spernere recti (H. 716)
aggreditur // piceamque / ardenti sulphure pinum (Ps. 43).

Undecim porro apud nostrum versus sunt huius modi, in quibus rursus deest trithemimeris:

militat horrendisque / animas / circum sidet armis (H. 394).

cf. A. 277. 920. H. 19. 899. S. 1,292. 2,11. 103. 228. 367. 1049. 30. 154. 1093

Cur huic versuum generi tamdiu sim inmoratus, mox apparebit. Namque iam transeamus ad versus, qui videntur, caesura post tertium trochaeum sola instructos, quorum forma

inelegantior, id quod negari non potest, occurrit apud Prudentium exemplis viginti quinque hoc schemate:

— ⏕(—) / — ⏕ — ⏑ // ⏑ — / ⏕ — ⏑⏑ — ⏓

Quos versus, quoniam de iis nonnulla subserenda sunt, totos lubet integros apponere:

Luminis / *ad*loquioque // dei / tabulasque tremendo (A. 328)
Novimus / *ad*ventusque // tui terrore iacemus (A. 420)
Sufficit / *ad*tritamque // cutem / per damna reformat (H. 753)
Vos nemus / *ad*positasque // meo / sub honore sacratas (S. 1,52)
Lumina / *con*ciliumque // senum / gestire Catonum (S. 1,545)
Et Numa / *cog*natumque // volunt / pigmenta Camenae (S. 2,47)
Vicimus, / *ex*ultare // libet / quid tale repulso (S. 2,738)
Creditus / *in*scriptusque // rubet /, cui visus in orbe (A. 365)
Attigit / *in*luxisse // diem / lactantibus horis (A. 613)
Inlinit / *in*funditque // diem baptismate lota (A. 697)
Sensimus / *in*caluisse // deo /, quotiens tepefactum (Ps. 900)
Maenadas / *in*flammante // mero in / scelus omne rotatas (S. 1,134)
Arguat / *in*geniique // putet / luctamen inire (S. 1,644)
Crescere / *sus*pensosque // globos / potuisse teneri (Ps. 662)
Misceri / Assyriaeque // vehi / Babylonis ad arcem (S. 2,550)
Floribus / ardentique // iubet / vestirier ostro (Ps. 39)

Edidit / Emanuelque // meum / me cernere fecit (A. 604)
Finxerat / auriculasque // suo / spoliarat honore (A. 326)
Crinibus / aureolisque // riget / coma texta catenis (H. 272)
Graius homo / Augustaque // Numae / praefulgit in arce (S. 1,103)
Contulit / auratumque // togae / donavit amictum (S. 1,623)
Exutae / Hebraeisque // toris / et lege vacantes (H. 781)
Viderat / unguentoque // lares / humescere nigros (S. 1,204)
Venditat / Aeneadasque // suos / successibus auget (S. 1,286)
Mimica / ridendāque // suis // solennia calvis (S. 1,630).

Horum versuum structuram et quasi indolem paulo curiosius contemplanti statim illud est notandum quattuordecim horum exemplorum ita esse conparata, ut vox, quae incipiat pedem secundum, praefixam contineat praepositionem, quod, quo melius cognoscatur, fecimus designatis syllabis. Qua re efficitur quadam specie, ut similitudo inter hos versus et eos, de quibus modo disseruimus, qui habent trithemimerim et hephthemimerim, intercedat, quoniam praepositio voce, quacum est composita, perquam facile soluta cogitari potest (cf. S. 2,779). Constat autem Horatium in poematis lyricis efficere incisionem (cf. od 2,12,25 dum flagrantia de // torquet . . .) Itidem vocabulorum „Assyriae" et „ardenti" et „Emanuel" principes syllabas aliquatenus praepositionum instar esse quivis videt. Vocabula, quae sunt in primo pede, exceptis duobus (S. 2,550, H. 781) merum complent dactylum. Praeterea omnes versus ita quasi aedificati sunt, ut vocabulum, pedem obtinens secundum, quod concluditur vocula „que" praeter quattuor versus, etiam tertii pedis mere dactylici contineat trochaeum (Müller p. 200) Denique secundum quodque

versus verbum, quod subnectitur copula „que“ instar est molossi choriambive. Quodsi illa de caesuris post praepositiones accipiendis constituimus, falsa putamus, quae vir alias summa laude celebrandus Carolus Lehrsius (de Aristarchi studiis homericis [3] ed. Ludwich p. 387 sqq.) summa sagacitate exposuit caesuram hephthemimerim esse nullam, relictis et pro nihilo putatis grammaticorum veterum certissimis indiciis, quos tali in re maiore fide iudicioque nobis usos esse mihi equidem extra omnem erit dubitationem. Et cum in graecis quidem versibus sane confitear illam coniunctionem trithemimeris et hephthemimeris multo rariorem esse neque tamen adeo, ut hanc **τομὴν** plane excludas, ipse potius dubitem, num omnino apud poetas latinos concedi possit sola post tertium trochaeum incisio, quae, ut apud Graecos frequentissime adhibita est, ita apud Latinos usu parcissimo admittitur (Jeep Claud. I praef. p. LXII L. Müller p. 202) Namque Prudentius omissis eis, quae alio pertinent (cf. H. 353. Ps. 32. S. 1,223. 510, 2,50. cf. p. 28) versus more mere graeco sola **κατὰ τρίτον τροχαῖον τομῇ** contentos hosce habet tres:

Dissimili ratione // tuentibus, ut fuit olim (S. 2,625)
Dixerat haec et laeta//Libidinis interfectae (Ps. 98)
Fulcra mero veterique // toreumata rore rigantur (Ps. 370).

Sed versus duos (Ps. 256. S. 1,135), quos et ipsos huc trahere quilibet pronus sit:

Sternere deiectamque supercalcare ruinam
Hoc circumsaltante choro temulentus adulter

levissimo negotio nemo non post ea, quae supra (p. 30) disseruimus, illis, quos ibi enumeravi, adscribere dubitabit. Atque hanc ob causam mihi persuasum habeo dissertatiunculam Walseri cuiusdam (zur Caesur **κατὰ τρίτον τροχαῖον** im Lateinischen „Zeitschrift für österreichische Gymnasien“ 1882 p. 1—29), qui caesuram post tertium trochaeum etiam apud poetas latinos pleno iure restituere conatur

non sine puerili quadam pervicacia obstinata et inflexibili, plane esse supervacaneam, quoniam numerus talium versuum etiam apud ceteros haud multo maior est quam apud Prudentium.

Quater autem poeta noster versus formavit, omni qui videntur caesura carere, nisi hic quoque cognoscamus per praepositiones rariorem penthemimeris speciem exhiberi, quoniam cum illis vox, tertium quae incohat pedem incipit:

Sanguine iustorum in- nocuo maduisse recordans (S. 1,515)

Perfidiane deum in-/digenum ¦ cecidere tot urbes (S. 2,501)

Undantesque meum in / gremium ¦ defundere mortes (S. 2,675)

Stratus humi tumulo ad- / volvebar, quem sacer ornat (Pe. 9,5).

Potes etiam excepto versu ultimo contendere caesuram horum esse post primam longam quarti pedis, quam explicationem solam patiuntur versus:

Vox evangelica Hyrcanas/quoque fervida brumas (A. 427)

Quod bona quadrupedum ante oculos / sita sunt ego contra (S. 2,166).

Sed unicum et prorsus singulare versus caesura etsi non carentis, at diaeresi post tertium pedem praesignis monstrum habet Prudentius dignum quod cum simili Tzetziano conponatur:

Hebraeus pangit // stilus /, Attica copia pangit (A. 379)

Εἶπε δὲ πενθεσίλειαν / κούρην ἰφιάνειραν Tz. Antehom 12.

Etsi libenter confitear versum Prudentianum multo praestare Tzetziano, eo quod, cum hic plane careat caesura, ille

eam habet, quamvis eam satis obscurari diaeresi tam praerupta sequenti nemo negare possit. Atque haec quidem abunde de caesura erunt disputata.

D. De Prudentii in versibus pangendis ratione.

Cum haec, de qua disputaturi sumus, largissima sit uberrimaque materia ac plurimae subtilius hic res exponendae sint, primum ut de caesuris ita hic de pangendis hexametris solis agere constituimus, omissis metris lyricis, quae, quoniam et perquam multiplicia satisque contortula sunt et longe alia tractatione egent, fusius explicata maiorem quam huic dissertatiunculae concessimus locum obtineant necesse esset, dum modo vita suppeditet, mox peculiarem de hac re conpositurі libellum.

Sunt autem numeri Prudentiani, ut de his quid praemittamus, vehementer fluctuantes minimeque sibi constantes. Namque deprehendimus saepenumero haud paucos tanta cum cura perpolitos ut inter praestantissimos veterum poetarum latinorum versus habeantur merito. Rursus inveniuntur, qui tanta negligentia sint quasi fabricati tantaque ruditate conditi, parum ut a Lucilio Lucretiove distare atque differe videantur. Namque ut unum de tot milibus exemplum sumam, versus (A. 18), quo foedior et quasi crepitantior vix alter cogitari possit, decem continetur vocabulis atque in iis non minus sex monosyllabis:

sed tamen et patris ést specimen, quod cernere fas sit.

Sed in universum quid nobis de hexametris nostri censendum existimemus, optime tunc illucescet, quando hanc totam materiem, quod quidem fieri possit, ad finem perduxerimus.

Incipientibus igitur nobis de hexametro quaerere, hoc praecipiendum videtur, eum, cum triginta duo versus schemata

existere posse satis constet, horum viginti tria admisisse atque etiam hac in re haud multum distat a ceteris poetis latinis, de quorum hexametrorum formulis divine prorsus egit Drobisch (Statistischer Versuch über die Form des lateinischen Hexameters. Sächsische Berichte 1866 p. 75; 1868 Heft 1, 2, 3; 1871 H. 1; 1873 H. 1; 1875 H. 1).

Utque omnino Latini propter linguae indolem plenum et grave sonantis, ita Prudentius eas versus formas praefert, in quibus dactyli et spondei numero pari fere continentur. Hoc quo clarius fieret, molestum ac prorsus ingratum munus obivi, ut versus Apotheoseos primos quingentos sexaginta hac trutina ponderarem doctus professoris illustrissimi Ludwichii de re metrica lectionibus atque illos cum eodem versuum numero ex primo Aeneidos libro desumptorum conpararem tabella adposita, in qua secutus exemplum Drobischii (cf. 11) spondeum litera s, dactylum litera d siginficavi (de pede quinto mox agemus):

	Pes I		Pes II		Pes III		Pes IV	
	S	D	S	D	S	D	S	D
Prudentius	225	335	296	264	340	220	411	149
Vergilius	203	357	260	300	316	244	356	204

Videmus igitur numerum spondeorum a primo usque ad quartum pedem vehementer adcrescentem, donec, ad quod iam veniemus, in pede quinto dactylus adeo praevalet, ut spondeus in hoc vix ullius sit momenti.

Illud quoque haud indignum est, in quod inquiramus curatiore industria, quot vocabula in quoque versu habeat Prudentius. Atque eum hac quoque in re non multum distare a prioribus docet tabula subdita, ex qua, quot vocabula in Horatii, Ovidii, Vergilii, Stâtii, Claudiani Prudentii centenis versibus insint, intelligi potest:

	Hor. S. I 1.	Ov. M. 1.	Verg. A. 1.	St. Th. 1.	Claud. B. Gil.	Prud. S. 1.
1—10	62	70	68	55	56	62
10—20	80	62	63	63	63	63
20—30	67	65	62	65	57	62
30—40	75	65	64	62	65	63
40—50	71	65	64	57	60	63
50—60	77	66	63	64	56	61
60—70	70	64	69	60	65	60
70—80	61	64	64	64	58	64
80—90	68	65	C6	60	61	58
90—100	60	64	65	59	61	60
Summa	691	650	648	609	602	616

Ex hoc conspectu perquam clare efficitur, quomodo veteres poetae a posterioribus sint diversi. Namque apud illos versus singuli senis septenisve vocabulis constant alternatim, apud hos autem senis tantum vocibus. cf. A. Ludwich, Beiträge znr Kritik des Nonnos p. 37.

Sed quoniam de formis vel schematis hexametrorum Prudentianorum egi, ad alia mihi festinanti, quanam in eis claudendis arte calleat investigare visum est atque in hoc genere, ut id nobis initium sit, mentionem facimus spondiacorum, quos quod noster densius quam deceat poetam hexametricum adamarit, illi vix equidem culpaverim. Nam reperiuntur apud eum per centenos sexagenos versus singuli spondiaci. Eos autem complendi vocabulis tetrasyllabis ratio etiam Prudentio est vulgatissima. Viginti enim novem, quos omnino habet, spondiacorum hi viginti quattuor verbis constant tetrasyllabis: eget incremento (A. 285), tabentibus interfusum (A. 817), daret intellectum (A. 864), liberat inconruptae (A. 932), deus inconrupto (A. 1038), sideris indiscretis (H. 76), balatibus inritatus (H. 222), manus im perfectum (H. 266), viribus interfusum (H. 390),

fumantibus intervallo (H. 859), libidinis interfectae (Ps. 98), spiraminis intercepto (Ps. 594), talibus informavit (S. 1,43), virtutibus informavit (S. 2,267), maioribus incompertos (S. 2,364).

promovet Evaeorum (H. 422), praenobilis Hellesponto (S. 1,111), miserabile Constantinus (S. 1,468), criminis exprobranti (H. 713), subsistere conscriptorum (S. 1,603), increpo peccatores (H. 622), motibus alternantem (H. 722), unica maiestatis (S. 1,189), virginis ulciscendo (S. 2,919).

Haec autem ideo per duos acervos digesta composuimus, ut, quod vocabulorum genus potissimum Prudentius in his pedibus locaret, impendio dilucide clareret. Consentaneum autem est figmenta illa, quae cum „in-“ seu praepositione sive particula adverbiali coniunguntur, vocabulis praeposita facillime voces tetrasyllabas efficere. Nominum autem propriorum in quinto hexametri pede a Prudentio positorum numerus tantus, quantus apud Vergilium Ovidiumve extat, minime reperitur, quippe quae tribus tantum exemplis adhiberi videamus. De ceteris porro vix unum alterumve est, quod careat praepositione initiali (peccatores, alternantem, maiestatis, ulciscendo) cf. A. Viertel de versibus poetarum latinorum spondiacis. Jahnsche Jahrbücher 1863, p. 801 ff.

At hercle longe aliter se res habebit, si versus σπονδειάζων claudetur vocibus trisyllabis, quae via, quamquam apud classicos poetas minus vulgaris est quam claudendi tetrasyllabis ratio, tamen et ipsa est legitima (L. Müller p. 223). Ex his noster haec habet exempla quattuor:

anfractibus et silvosis (H. 144), collibus et speluncis (H. 103), gloria si Corvinum (S. 2,566), divortia quot templorum (S. 2,856).

Hos autem versus omnes ita vides constructos, ut verbum trisyllabum semper anteat monosyllabum. Cuncti vero versus spondiaci Prudentiani quartum pedem semper proferunt dactylicum, id quod praemissis pedibus istis indicavi. Quod plane

respondere elegantissimorum versificatorum usui hodie nemo dudum nescit!

Venio nunc ad versum spondiacum (A. 266), cuius in fine extat disyllabum hoc modo:

ultra principium deus egerit? aut quo pacto...

Sunt qui negent velut Hauptius (ind. Berol. aest. 1855 p. 12) constare, an possint disyllaba quinta sextave sede admissa tolerari usu homerico. Itaque si spectamus, extentne apud poetas latinos gravissimorum codicum traditione unanimi tales versus, habemus Lucretianum illum: „omnia cum rerum primordia sint in motu.“ Atque hic quidem ob causam supradictam a Lachmanno levi negotio emendatione praeditus est infallibili: omnia cum sint in motu primordia rerum! Jam equidem nulla ratione dubito, quin, si versus Prudentianus simili vocabulorum traiectione sanari posset, vel Lucianus Müllerus vel quis alius eum sic emendaturi fuerint pridem. Quoniam autem versus enuntiatis duobus disterminatur ac distinguitur, correctionis locus est nullus. Atqui eiusce modi portenta versuum delenda sunt e literis carminibusque latinis! Quid igitur? Aiunt homines isti docti versum inde habere veniam, quod quasi formulam aequet illud quo pacto et velut unum sic factum verbum trisyllabum, qua ratione item mitigant Arati Germanicique clausulam *ἵππου κρήνη*! (L. Müller p. 224).

Dixi de spondiacis, qui quidem persaepe verbis continentur secundum optimorum normam tetrasyllabis. Inelegantior autem versus est, si non *σπονδειάζει* et nihilominus clauditur tetrasyllabo. Prudentius hanc clausulam non minus octogies quater praebet. Solos locorum, quoniam ipsos exscribere longum est, numeros adponam:

A. 13. 47 (*). 189. 196. 238. 316. 323. 761. 916. 959 (*). 1011 (*). 1048 (*).

H. 70 (*). 75. 102. 110. 234. 267. 296. 430. 446. 565 (*). 576. 593. 769 (*). 839. 867 (†). 904 (*).

Ps. 60 (*). 195. 274. 337. 404. 547. 784. 857. 894. 900 (*)

S. I. 3 (*). 23. 32 (*). 33. 70 (*). 125 (*). 301 (*). 318 (*), 347. 445. 517. 529 (*). 531 (†). 558 (*). 624.

S. II. 122. 147. 159 (*). 189 (†). 268. 319 (†). 424. 429 (†). 446 (*). 524 (*). 562 (*). 825. 841 (*). 918 (*). 436 (*). 373 (†). 376 (†). 620.

Pe. 11,137. 11,171 (†). 11,191. 11,237.

Ditt. 94 (†). 81. 21 (*). 151 (*). 191. 193 (*). 149.

Quae asteriscis notavi, grammaticum neglegunt accentum vocabulorum praetereuntium. Namque cum recte viri docti statuerint eam legem hexametri latini, ut in primo et medio versu grammaticus accentus abhorreat ab ictu versus, at in ultimis duobus pedibus consentiat uterque, (cf. M. Crain Andeutungen zur Beurteilung des lateinischen Hexameters. Philologus X p. 260, H. J. Heller: Eine Bemerkung über den latein. Hexam. ib. XIV. p. 780 E. Plew: Ueber den in einem viersilbigen Wort bestehenden Verschluss lateinischer Hexameter. Jahn'sche Jahrbücher 1866, p. 631), quoniam voces, paenultimae aut monosyllaba esse debent aut polysyllaba, quorum in paenultima exstat accentus grammaticus, eliminata propter hiatum ultima, quae hic ego crucis figura signavi, bisyllaba trisyllabave Prudentius integra saepenumero praeposuit (cf. etiam Froehde de hexametris latinis Philol. XI. 533).

Haud raro etiam is versum clausit vocibus pentasyllabis (quadragies sexies) servata semper accentus grammatici cum metrico concinnitudine. Hi sunt autem loci:

A. 24. 91. 128. 130. 155. 174. 225. 264. 292. 485. 495. 859. 936. 988. 1077.

H. 36. 129. 191. 294. 309. 340. 403. 404. 413. 425. 439. 450. 657. 745. 819.

Ps. 211. 333. 450. 530. 630. Di. 60. 102. 123.

S. I. 79. 238. 547. 549. 564. S. II. 477. 705. 709. 844. 1051.

Verba plurium syllabarum in fine versuum Prudentianorum invenies nulla. Constant autem versus plerumque sex vel septem vocibus, rarius pluribus paucioribusve. Eos vero, qui quattuor

continentur vocabulis, nam pauciora in nullo deprehendi, hic enumerabo. Sed plusculi horum aut nomen proprium includunt, aut spondiaci sunt. Illos asterisco, cruce hos notavi:

A. 166. 662. 701. 987. H. 340. 403 (*). 404 (*). 657.

Ps. 13 (*). 256. 261. 354. 568. 888. Pe. 11, 51.

S. I. 385. 431. 468 (†).

S. II. 364 (†). 521 (*). 1051. 267 († etiam alliteratione insignis).

Jam videamus de clausulis hexametrorum monosyllabis, quas habet Prudentius plurimas. In eorum locorum numeris enumerandis hanc secuti rationem sumus, ut ea verba finalia, quae antecedat alterum monosyllabum, asterisco, ea, quae enclisi voculae „est“ compleantur, cruce signemus.

A. pr. 2 (†). pr. 5 (*). 9 (†). 18 (*). 23 (*). 78. 82 (†). 83 (*). 112 (†). 122 (*). 185. 201 (*). 205 (*). 217 (*). 224 (*). 229 (*). 230 (†). 249 (*). 253 (*). 268. 281 (*). 367 (*). 393 (*). 395. 397 (*). 515 (†). 525 (†). 526 (*). 530 (†). 638 (†). 670 (*). 695 (*). 728(†). 767(*). 777. 779(†). 791(*†). 796(†). 800(†). 808(†). 810(*). 826(†). 830(*). 852(†). 855(†). 862(*). 863(†). 878(*†). 879(*). 884. 891(†). 893(*). 917(†). 923(†). 948(*). 951(*). 975. 977(*). 990. 992(*). 1019(*). 1030(*). 1050(†). 1051(†). 1058(*†) 1062(*). 1064(*†). 1070(*).

H. 39(†). 51(*). 62. 82(*†). 96(†). 124(*†). 163(†). 171(*). 181(†). 279(*). 351(†). 482(*). 486(†). 519(*). 555(*). 557(†). 570(*). 581(*). 584(*). 615(†). 618(*). 626(*). 628(*†). 656(*). 686(*). 702(*). 727(*). 735(†). 766(*). 770(†). 875(†). 890(†). 935. 961(†).

Ps. 71(*). 238(†). 272(*). 360(*). 382(*). 393(†). 401(†). 497(†). 518(*). 522(†). 546(†). 554(†). 617(*). 624(†). 629(*). 682(†). 694(*†). 744(*). 763(†). 778(*†).

S. I. 6(†). 12(*†). 31(*). 131(*). 132(*). 177(*). 274. 283(*). 316(*). 343(†). 464(†). 366(†). 443(†). 496(*). 569(*†). 578(*). 604(*). 653(†).

S. II. 2(†). 12(†). 35(†). 89(*). 97(*). 116. 118(†). 121(*). 162(*). 237(*). 243(*†). 270(*). 274(*). 278(†). 307(*). 329(*). 366(†). 369(*†). 380(*). 422(†). 461(*). 469(*). 471(*). 486(*).

554(†). 606(*). 610(*). 751(†). 796(†). 810(†). 829(*). 837(*). 910(†). 971(†). 973(*). 1015(*). 1111(*).

Pe. 11,31(†). 11,109(*†). 123(*). 159(†). 209(*). 239(†).

Di. 20(†). 37(*). 62. 166(†).

Comparantibus nobis haec tot exempla (184) Prudentii cum paucissimis Vergilii Ovidiive causamque huius rei quaerentibus, hoc unde rem factam putemus, offertur, quod in carminibus didacticis, inter quae poetae nostri opera sine dubio referenda sunt, haec versum claudendi ratio multo magis invaluit, quam in epicis lyricisve, id quod sic evincam. In tribus primis Lucretii libris — continent autem 3393 versuum — inveniuntur 209 monosyllaba in fine versuum; at in quattuor primis Aeneidos libris (versuum 2983), tantum viginti quattuor huiusce modi.

Quodsi quae potissimum verba posuerit in extremo hexametro noster quaeremus, quia de disyllabis postea plus proferetur, inprimis nunc trisyllaborum ratio nobis erit habenda. Super eis, quae huc pertinent, oppido luculente disseruit Zingerleius (Zu spaetern lat. Dichtern I. p. 73) evincens inde ab Ennio, Lucretio, Vergilio in pede sexto nonnulla vocabulorum genera saepissime statui solere atque ea re quasi quasdam concinentias effici vehementer inter sese congruentes. Et quoniam eiusce modi clausulae a gravissimis illis poetis exorsae etiam a novissimis adhibentur, num is qui eas adhibuit priorem quem respexerit, haeremus atque velut animi pendemus. Sed latius de hoc agam tunc, cum ad imitationem accessero Prudentianam. Nunc autem in exemplis ipsis colligendis acquiescam. Quaenam autem gentium sunt voces illae finales, quas hereditate superiorum receptas cum etiam noster diligentissime servaret, magnam adeo cum illis similitudinem ac molestae fere et morosae poeseos ipse quoque latinae speciem praebuit? Hoc ut melius appareret, conspectum earum, quas notavi saepicule mihi lectitanti occurrentes exhibere optimum duxi. Quae incipiunt cum re particula, quoniam longe numerus earum ceteris praestat, exceptis eis,

quae sunt alliterationis usu praesignes, quippe de quarum ratione videamus, primas subdidi (Zingerle p. 75):
vena rebellis (Ps. 142), fibrasque rebelles (S. 2,630) missamque recepit (A. 114), omne receptum (Ps. 698) triste recepta (Ps. 803), fronte recepi (S. 2,723) spoliisque receptis (S. 2,731)
inde recessus (P. 11,163), breviore recessus (Pe. 11,221) ditione recidit (H. 19), castrata recisum (H. 957) rupe recisis (Ps. 869), stirpe recisum (Ps. 879) nulla recidi (S. 2,238), ligna recidunt (Di. 85) strophioque recincta (S. 2,37) vota reclamant (S. 1,601) formica recondat (S. 2,1054), maduisse recordans (S. 1,515) saturata recoctis (H. 290), fornace recoctam (Ps. 599) nocte recurrens (S. 1,330), prisca recurrant (S. 2,293), vincla recusat (Ps. 907), praecepta recusat (Di. 91), ille recusat (Di. 186)
vincla redegit (S. 2,609), membra redibit (A. 1073) fronde reduco (S. 2,206), omne reducens (A. 780) aggesta redundant (A. 717)
dicta refellam (S. 2,4), adesse refelle (A. 1055) prona reflexis (Pe. 11,155), fila reflexos (H. 136) pone reflexo (H. 733).
damna reformat (H. 753), cura reformat (S. 2,342) inferna refringens (A. 635), blandita refrixit (A. 906) disclusa refugit (A. 423), informata refugit (S. 1,506) nonnulla refugit (S. 2,306)
constructa refulsit (A. 868), gemmata refulget (S. 1,465), quando refulgens (A. 279).
Siloa refundit (A. 680).
deteriora refutans (H. 695), terrena refutant (Di. 6), nigrosque relapso (Ps. 654), paulumque relata (H. 747) sede relicta (H. 726) ratione relicta (S. 2,272) sorte relictum (Pe. 9,103), elementa relinquas (S. 1,426), parte relinquat (S. 2,1047), sicca relinquit (Di. 58) intactumque reliquit (S. 2,1121)
palma relisis (A. 95), scintilla remensum (H. 850) passimque remissum (H. 771), caementa remitto (S. 2,245)

uligo removit (A. 678), labe remotis (H. 841) viva remotos (H. 894), inane remoti (H. 924) curva remugit (A. 384), ipsa renasci (Ps. 366) illa renutat (H. 774), divina repente (H. 178) virtute repellas (A. 419), tela repellit (Ps. 509) vota repelli (S. 2,479) senioque repulso (H. 631) excussa repulsu (Ps. 124), peste repulsa (Ps. 899), pietate repulsa (S. 1,521), tale repulso (S. 2,738) dona rependam (A. 632), aequa rependens (S. 1,616) tormenta rependet (S. 2,209), facta rependens (S. 2,475) digna rependam (S. 2,750) tanta repertus (Pe. 11,61), lance reportet (Di. 134) fugiente repostis (H. 921), igne reposto (S. 2,967) Manichaee requiris (A. 974), maiestatemque requiras (S. 1,431) sociosve requiro (S. 2,232), intemerata requires (S. 2,1078) cervice resectum (Ps. 282) cervice resecta (S. 1,359) lingua resectam (Ps. 423)
nate reservo (S. 2,1120)
nulla resistit (H. 530), tuta resistit (Ps. 144) ferale resolvit (A. 361), capta resolve (A. 773) tabe resolvat (H. 119), meritumque resolvit (H. 666) tepefacta resolvit (Ps. 237), sacra resolvit (Ps. 400) conviva resudat (A. 719), potuisse resumptis (Ps. 58) testudo resultat (A. 386), gente resultant (Ps. 663) virtute resurgo (A. 1047)
membrisque retectis (Ps. 26), tandemque retectum (S. 2,314). quaeque retexam (is) (A. 704. S. 2,580), voce retexo (A. 741) corde retractat (Ps. 877), terga retortis (S. 2,560) nocte retrorsum (H. 176), revocare retrorsum (S. 1,333) aciemque retundit (Ps. 141), diadema retundis (S. 1,422), convexa reverti (H. 832), genetrice reversa (S. 2,736) sede reversum (Di. 150)
ille revenit (A. 1063), quaeque revulso (H. 23), vitulasque revincta (A. 462), terga revinctus (H. 435) sancta revisat (Ps. 815), lege revisit (Di. 39)

Ceterorum quoque verborum fere semper in fine versuum collocatorum numerus minime parvus est. En habes, quae sunt in hoc genere usitatissima.
radiasse figuram (A. 30), informasse figuram (A. 689),

fluxisse figuram (A. 108), frustrata figuris (H. 5) nostra figurat (Ps. 67), mentita figuram (Ps. 684), excire figuras (S. 1,96), elementa figuras (S. 2,299), variare figuras (S. 1,364), nube figuram (S. 2,398) cuiusve figurae (S. 2,823).
transcurrit amictus (A. 144), velarit amictu (A. 333), victor amictus (H. 211), sumere amictus (H. 288), splendet amictu (S. 1,365), donavit amictum (S. 1,623), pietatis amictum (S. 1,546), sumamus amictus (S. 2,290), spoliatus amictu (Pe. 9,43).
poma cruenta (A. 67), manibusque cruentis (A. 465) discerpta cruentis (H. 373), rapuisse cruentas (Ps. 476), ille cruentum (Di. 178, S. 2,680), visura cruentos (S. 2,1092), impacta cruentis (Pe. 9,49), ore cruento (Ps. 791), ora cruore (Ps. 31), multa cruorem (Ps. 427), tela cruorem (S. 1,399), atque cruorem (Di. 186)
virginitate creavit (A. 437), existente creavit (A. 723), similisque creanti (A. 790) mente creavit (H. 160) quodcumque creavit (H. 341), quaecumque crearat (H. 679) ipse creavit (H. 647), lacte creavit (Ps. 469), Veneresque creasti (S. 1,266), mundumque creavit (S. 2,96) quina creantur (S. 2,423), nemo creavit (S.2,241) natura creatis (S. 2,234), natura creandis(S. 2,794)
sublime columnis (A. 522), subnixa columnis (Ps. 868),
incendia anhelis (A. 439), spumat anhelus (A. 132), semper anhelat (A. 681), parvula anhelent (A. 919), exhalatus anhelat (A. 839), funere anhelus (Ps. 166) rumpit anhela (Ps. 697), genitoris anheli (Ps. 807) pectora anhela (S. 1,346), crimen anhelet(S. 2,648), mirmillonis anhelet (S. 2,786)
verba loquelis (A. 34), voce loquela (A. 235) reserare loquelas (A. 578), dolore querella est (S. 2,910) imploranda medelast (S. 1,6), Roma medelae (S. 1,526)
medicante veneno (H. 230), triste venenum (H. 335) ossa venenum) Ps. 329), tela veneno (Ps. 436) servare veneno (S. 1,21), membra venenum (S. 1,235) serpente veneno (S. 1,536) fraude venenum
(Di. 2) nutante iuventa (H. 790), discincta iuventus (Ps. 822) flore iuventae (S. 2,7), nervosa iuventas (S. 2,320) famulata iuventas (S. 2,1083)

luce **coruscat** (Ps. 108), ense corusco (Ps. 137) arce coruscet (S. 2,210), ore corusco (Di. 29), fronte coruscum (Ps. 410)
corda **virorum** (Ps. 232. 564. S. 1,43)
conferre **choreis** (Ps. 242), laeta choreis (Ps. 688),
servire **colonos** (S. 1,85), arva coloni (S. 2,282), rura coloni (S. 2,789), praecepta colonis (S. 2,1023),
plebis **acervos** (S. 2,939), populetur acervum (S. 2,1053) corpore, acervis (Pe. 11,11).
psallente **caterva** (Ps. 648), deficiente caterva (S. 1,598) armare catervas (H. 419), esse catervis (Pe. 11,213), inde catervas (S. 2,419), iuvenumque catervae (S. 2,734)

Exhausimus enumerando partem haud exiguam clausularum hexametri apud Prudentium obversantium. Restat ad absolvendam quaestionem propositam, ut pauca etiam condamus de iis versuum terminis, in quibus alliteratio, quae dicitur, adhibita est. Cuius usum poetis classicis ignotum fuisse redarguunt exempla apud eos passim oblata (Verg. Aen. II. 754 794. III. 58 127 159 160 253 334 etc.). Illud quoque statuendum est Romanos multo magis atque id consulto industriaque quam Graecos adhibuisse alliterationem et iam inde ab antiquissimis temporibus tam in oratione prosa quam in poesi vocabula conserta iisdem consonis initialibus incepisse. **Naeke de alliteratione sermonis latini. Mus. Rhen.** III. (1829) p. 324 **Loch de usu alliterationis apud poetas latinos Regimonti diss.** 1865. Velut quis ignorat haec monstra versuum alliteratione insignium:

O *T*i*t*e *t*u*t*e *T*a*t*i *t*ibi *t*an*t*a *t*yranne *t*ulisti.
At *t*uba *t*erribili soni*t*u *t*ara*t*an*t*ara dixit.
*M*achina *m*ulta *m*inax *m*initatur *m*axima *m*uris.

Verum haec qualiacunque sunt, quae reperiuntur apud veteres illos, saepenumero quasi nolentibus evenisse, nullo pacto autem perpetuorum versuum tenore servata neque tam diserta ratione expressa fuisse sciendum erit quam a poetis decrescentium literarum romanarum et maxime quidem a christianis. In generale oppido luculente et per-

spicue dissertavit hac de re Schuchius de poesis latinae rhythmis et rimis, praecipue monachorum 1851. Quod ad Prudentium attinet, quantopere is fuerit alliterationis amans, in universum allatis exemplis Kanteckius (in extrema dissertationis parte) evicit perquam dilucide.

Quis enim versum condere posset artificiosiorem factum hac figura quam Pe 11,121:

*p*ars **s**ummis *p*endet **s**copulis, *p*ars **s**entibus haeret.

Eandem alliterationum nimietatem etiam in extremo versu, id quod minus curavit Kanteckius, poeta praebet, cuius rei documenta gravissima minoribus cunctis omissis literarum digestione seiuncta proponam:

*c*olla *c*apillo (Ps. 283), *c*reamine *c*onstant (H. 505) *cre*de *cre*atis (A. 786), *cre*de *cre*atam (A. 787), *c*arne *c*oactum (A. 888), ar*ce ce*rebri (H. 312) *co*nvivale *ca*lentis (H. 317), *c*uria *c*onstat (S. 1,599) *c*ongesta *c*oturnix (Di. 44)

*d*uce *d*ignas (S. 1,386) *dis*crimine *dist*at (S. 2,879) *f*oedere *f*also (A. 426), **fr**iget *f*era *f*utile **fr**endens (H. 560) *fa*stigia *fa*mae (H. 437), suf*fu*ndere *fu*mo (Ps. 45), *for*midabile *fer*vet (Ps. 296), *for*midine *f*usi (Ps. 411), *f*allente *f*overet (S. 1,18), *f*reta *fl*umina *fl*ammas (S. 1, 298) *fu*nere *f*errum (S. 2,668) ex*hala*tus an*hele*t (A. 938).

*m*ixta *m*arito (H. 612), *m*embra *m*agistri (Pe. 9,83), *pe*lagique *p*olique (H. 192), *p*rompta *p*otestas (H. 689), *pop*ulumque *p*erustum (H. 759), *pl*acabilis im*ple*t (Ps. 636), *pr*etiumque *p*ericli (Ps. 770), *p*este *p*iatam (S. 1,20), *pe*nitusque *p*utri de *p*ure *p*eresam (S. 1,17), de*pe*llere *p*arma (S. 1,651), sus*p*endam *p*allia *p*ortis (S. 2,728) *pu*blica *p*ompa *p*lateas (S. 2,1088), *ora* cer*a*stae (H. 135) *r*apiuntque *r*uuntque (H. 237 = Verg. Aen. 4,581) *rore* *r*ubente (Ps. 100), *rore* *ri*gantur (Ps. 370) *rore* *ri*gabant (Dc. 54), *r*upe *r*elictis (S. 1,548) *re*dim*ire* *r*uinas (S. 2,724), di*ra* *re*latu (A. 1) sc*ire* *re*cusas (A. 180), *r*abiemque *r*efelli (A. 981), *re*plicata *re*portet (A. 232), *re*deundo *re*texit (A. 1006) f*re*nare *re*belles (H. 524), o*re* *re*visit (H. 767), mulieb*re* *re*trorsus (H. 739), ter*re*na *re*tardat (Ps. 308), *re*supina *re*ductis (Ps. 412),

*re*voca*re* *re*trorsus (S. 1,333), Cythe*re*a *re*liquit (S. 2,494), o*re* *re*tecto (S. 2,1089) *ri*pa *re*tardat (Ps. 11,115)
*su*peris *su*rgatque *se*pultus (A. 1059), *se*na *se*natus (Ps. 839)
*sa*piens *su*ptile *se*renum (H. 545)
*se*ntentia *sa*eva *se*cures (Ps. 402),
*sa*ecula *se*nsit (S. 2,641), *sa*nguine *sa*eclum (S. 2,683)
*sa*nguine *si*gnet (S. 2,1113)
umbran*te* *te*guntur (H. 813), languen*te* *te*pescat (H. 964)
form*ata* *ta*len*tis* (S. 2,29).
*v*iola*v*it a*v*enis (H. 218), in*v*ecta *v*enusto (Ps. 321).

